



PINDARUS

PINDARI


OPERA OMNIA

VIDELICET,

OLYMPIA, PYTHIA, NEMEA, & ISTHMIA,

Latino carmine reddita per Nicolaum Sudorium in Curia Parisiensi Inquisitionum Præsidem.

Eiusdem Commentarius in Nemea.




VENETIIS,

COMBEIS SVMPTIBVS.


cIↃ IↃ xxcII.

CVM PRIVILEGIO.



IN OPERA PINDARI PRAEFATIO

Ad Inuictissimum & potentissimum Principem HENRICVM Christianissimum Galliarum & Poloniæ Regem.



VANTVM momenti antiquitas esse existimauerit, Rex Christianissime, & inuictissime, ad hominum vitam regendam, moresque conformandos in graui quadam & seuera scelerum flagitiorumque vituperatione: rectè autem & sapienter & fortiter factorum comendatione luculenta, satis indicant tunebres illæ orationes olim in clarorum & illustrium virorum exequiis haberi solitæ, quę & antiquissimis Græcorum legibus institutæ sunt & Romanorum moribus ita solemniter vsurpatæ, vt sępe ipsi imperatores Romani genitum omnium terrarumque domini, minimè augusto illo maiestatis suæ fastigio indignum esse duxerint: quibus in imperio successerant, eorum vitam resque præclarè & feliciter gestas principali facundia exornare: sed Encomiorum omnium siue ea mortuis fatòque defunctis, seu viuentibus, tribuenda sint, duo quodammodo genera con-

ſtitui poſſunt: quædam enim pedeſtri & ſoluta oratione explicantur, quædam verò carminibus & modis, numeroſiſq. ocibus, quaſi inuecta & incitata violentiùs & vehementiùs ad hominum aures ſenſuſque perferuntur. Prioris generis Panegyricas orationes multas, & græca lingua & latina ſanè perelegánter ſcriptas legimus: ſub poſteriori continentur Homerici omnes, Pindariciq; hymni, quibus in theatris Græciæ, & celeberrimis quatuor conuentibus, ſæpiſſimè decantatis, nihilquondã erudita illa natio nec attentiùs, nec libentiùs audiuiſſe dicitur. Atq; hæ duæ laudationum ſpecies vt in plurimis conueniunt ſic etiã in nonnullis diſſimiles inter ſe & diſcrepantes reperiuntur. Rectè enim, vt multa alia, ſic etiã hoc ipſum Cleantes Philoſophus dicere conſueuerat, eam ſcilicet differentiam eſſe inter ſolutam orationem & verſum, quæ inter ſimplicem oris humani ſonum, tubæq; clangorem percipi ab omnibus & exaudiri ſoleret. Nam quemadmodum ſpiritus noſter longè clariorem ſonum edit, cùm illum tuba per longi canalis anguſtias tractum patentiore nouiſſimè exitu effudit, ſic animi noſtri ſenſus clariores & ſublimiores arcta illa conſtrictáq; & modulata carminis neceſſitate redduntur. Ac neſcio quo fatto id accidiſſe dicam, Rex Chriſtianiſſime & inuictiſſ. vt quibus ſæculis famoſiſſima bella à potentiſsimis Regibus aut populis terra marique geſta ſunt

iisdem etiam Poetæ excellentes pænè diuinitus exciti,& omnibus ingenij dotibus à natura subornati extiterint ad eas res quę tum gerebantur versibus decorandas, & in æternam posteritatis memoriam propagandas. qua in re demonstranda nullum opinor ex profanorum scriptorum monumentis nec clarius nec antiquius argumentum erui potest vetustissima illa Græcorum expeditione in Colchos, cui militiæ cùm certatim omnes qui tum appellabantur Deorum filij, nomen dedissent, illi ipsi, vt à veteribus traditum est, suum in numerum Orpheum poëtarum omnium principem & parentem aggregandum adscribendúmque censuerunt, sine quo Oeagri & Musæ Calliopes filio labores omnes suos, quamuis admirabiles, temporis tamen iniuria perituros, tandémque in obscuro futuros existimabant. Pòst res Colchicas secutum est non longo sanè interuallo bellum Troianum, & ab iis ferè ducibus administratum, quorum parentes sub Iasone vellus aureum armis repetente, ordines duxerant. Nec verò patribus ab Orpheo collaudatis filiorum gloriæ Phemius & Demodocus vates egregij excellentésque defuere, quos Homerus diuinis carminibus suis id consecutos ait, ne vnquam Achiuorum vel victoriæ memorabiles vel ærumnæ insignes obliuione delerentur: quinetiam Homerum ipsum non-

nulli authores Iliensis obsidionis bellique & scriptorem & spectatorem fuisse memoriæ prodiderunt. Cùm verò bello Troiano victores Argiui sibi & decus eximium & otium diuturnum peperissent, posteà non penitùs quidem motibus intestinis & tumultibus caruere: sed nullo tamen vel formidoloso vel valde memorabili bello à Barbaris petiti sunt vsque ad Darij Xerxisque Persarum regum imperia, qui generosi ambo & animosi principes cùm dominationem & ditionem suam, vt scribit Herodotus, non montibus nec fluminibus vllis, sed cæli ambitu ipso definire & terminare statuissent, per legatos superbè admodum à Grecis vniuersis aquasi terramque poposcêre, quorum elementorum non paucis vtrumque porrigentibus & offerentibus, aliis autem liberè admodum & fortiter denegare ausis, bellum illud Persicum longè omnium maximum & periculosissimum exarsit, quod diu varióque & ancipiti euentu gestum est, cunctis Asiæ Europæque populis in id vnum omnes res & opes & copias suas, omnem denique vim virtutemque conferentibus: cùm Persę quidem præter innumeras Asiæ nationes & reges, ipsam etiam Carthaginensium ciuitatem Africæ tunc imperantem, in partes traxissent: Græci autem ad commune ius libertatis defendendum, non suorum tantùm præsidia, sed Siculorum

etiam & Italorum longinqua auxilia crebris legationibus missis solicitare & implorare cogerentur. Atque ab illis hoc tantùm iniquæ seruitutis discrimen tribus aut quatuor prælijs pedestribus, egregiis sanè & memorabilibus depúlsum est, vnáque potissimum valde insigni & illustri pugna nauali Salaminia. Quo quidem tempore, vt ab antiquis accepimus, ne tot fortibus & bellicosis viris nullum pro patria, fortunarum vitæque discrimen recusantibus iucundi imprimis & graues & canori præcones deessent, Euripides poëta natus est, Aeschylus non minus gloria militari quàm poëtica facultate excellens floruit: Simonides, Archilocus, Bacchylides, viguere. Pindarus ipse, quem non immeritò Horatius vatem ab Homero secundum constituit, lyricis numeris & carminibus suis fertur per vniuersas nationes & gentes incredibilem quandam atque inauditam nominis celebritatem & claritatem consecutus. Sic autem, vti diximus, barbarorum copiis fusis fugatísque paulatim Græcia & corporum & ingeniorum exercitiis pertinaciter incumbens, vim illam potentiamque adepta est, qua tandem Persarum dominatio omnis impulsa & prostrata corruit. Alexandro Macedonum rege pulcherrimæ expeditionis longè præstantissimo Duce constituto: quiquidem, si antiquitati credimus, cùm & bellandi cupi-

ditate incenderetur, & incredibili quodam liberalium artium scientiarumque studio & amore flagraret, arma illa inuicta toto orbe circunferens, non Centuriones tantùm & tribunos & legatos fortissimos in comitatu habuit, sed Philosophos etiam complures & historicos nobiles, & poëtas celeberrimos scriptores rerum suarum: quotum tamen ingeniis diuinius aliquid & sublimius desiderans eruditissimus Imperator, Achillem hoc vno sese feliciorem & fortunatiorem fuisse dixit, quòd laudatissimo Homeri poëmate commendatus & celebratus vbique claruisset: nec sanè iniuria. Nam Herois inclyti fortitudo immortalitatem à poëta accepit, nulli temporum iniuriæ nec casuum varietate obnoxiam. Alexandri verò imperium illud infinitum statim eo mortuo à proceribus in diuersa regna quasi ingentis cuiusdam corporis separata membra miserabiliter distractum & dissipatum est: quæ tandem omnia concidêre subacta & occupata à Romanis gentium omnium terrarumque domitoribus & victoribus, apud quos ipsos bellicæ laudis & gloriæ appetentissimos, statim ab incunabulis conditæ vrbis cum militari disciplina ars quoque poetica inuenta & exculta est, & in summo honore ac pretio habita. Scripsit enim in Originibus Cato, Romanos illos Heroas antiquissimis in epulis accubantes clarorum &

for-

fortium virorum laudes versibus mandatas & compositas canere ad tibiam consueuisse. Ac cùm in omni Romana historia nihil Scipionibus duobus illustrius, nihilque Iuliis & Cæsaribus augustius reperiatur, in Scipionum monumento & sepulchro vnum ex Italis omnibus Ennium Poetam è marmore positum & constitutum accepimus. Iulius autem Cæsar Augustus, qui magnitudine rerum suarum terræ totius habitabilis imperium complexus est, Publium Virgilium Maronem non cognitione tantummodo dignum existimauit: sed præmiis etiam & honoribus amplissimis affecit: cui quidem tantæ & tam admirabili summi principis beneficentiæ gratiam Poeta omnium ætatum præstantissimus referens, vnum id clarissimo Aeneidos opere potissimum egit, & studuit, vt Cæsares & Iulios à nobilissimo Aeneæ Iulique sanguine ortos, & iam inde ab infinita annorum serie vniuerso terrarum orbi administrando per oracula sortésque antiquissimas destinatos ostenderet. Itaque cùm Homerus, vt nonnulli existimant, amplissimam & maximè diuturnam Iuliorum & Cæsarum potentiam in terris fore præsagisset his versibus,

Ἡ δὲ δὴ Αἰνείαο βίη τρώεσσιν ἀνάξει,
καὶ παῖδες παίδων, τοίκεν μετόπισθε γένωνται;

illos ipsos ita in Aeneidē suā Virg. transtulit:

At domus Aeneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Quod quidem si oraculum est, & non Romanæ iactantiæ commentum aliquod Iliadi artificiosè insertum, non video cur id ipsum ad Romanos Aeneadas tantum pertineat, neque ad Francos etiam Hectoridas eadem cum Aenea stirpe editos porrigi extendique possit. Cùm præsertim Carolus Magnus, Rex Christianissime & inuictissime, proauorum tuorum longè clarissimus Romanum imperium, trecentesimum iam & trigesimum annum in Italia prostratum & iacens, ac barbarorum insolentia miserè conculcatum erexerit, & ditioni suæ adiunctis Galliis, Hispaniis, Pannoniis, Germania, Italia, Britannia, Dalmatia, aliisque Europeis gentibus bellicosissimis, corroborarit, & quod longè omnium primum est, Christianis ritibus & moribus vereque pietatis & iustitiæ integerrima sanctitate firmarit: quæ quidem rerum alienarum abstinentissima, nisi inuicti animi martios impetus sese efferentes cohibuisset, perfacilè tanto imperatori fuit Græcis otio diuturno languentibus & effœminatis, Orientales omnes prouincias inuadere, & cum Occidentalibus vno absolutissimi imperij iure deuincire. Ac si quis à posterioribus Francorum imperatoribus & regibus Asiam tot victoriarum vestigiis signisque impressam, Syriam subactam, Ae-

gyptum oppugnatum, Africam perdomitam cogitet, is profectò intelliget nullas vnquam regiones & terras Romanorum ducibus patuisse, ad quas non Francorum quoque victores aliquando exercitus penetrarint & peruaserint. Scio equidem hoc loco plures existimaturos in veteribus Francis maximam rerum militarium curam, summámque liberalium artium & scientiarum incuriam fuisse. Quod contrà omnino est: Ipse enim cuius modò meminimus Carolusmagnus græca latinaque lingua eruditus, nec Hebraicarum literarum ignarus, duo in orbe terrarum maximè insignia Gymnasia, Bononiense scilicet & Lutetianum, instituit, eáque vndique accersitis & liberalissimè inuitatis ingenuarum artium literarumque omnium magistris & doctoribus instruxit & exornauit. Nec desunt etiam qui scribant illum ipsum tot imperij regnique negotiis maximis implicitum & occupatum antiquissima quędam Gallorum carmina, quibus priscorum Regum Ducúmque res illustrissimæ celebrabantur, emendasse & publicè cantanda posteà in vulgus edidisse. Præthereà si Ammiano Marcellino credimus, olim in Gallia laudabilium doctrinarum professores, Eubages, Druidæ, Bardíque viguerunt, ex quibus Bardorum institutum hoc præcipuum ferebatur, vt fortia virorum illustrium facta heroicis expressa versibus lyræ fidibúsque mandarent.

Cùm verò nostra patrumque memoria Franciscus magnus & Henricus secundus, Augusti, bella longè difficillima cum ferocissimis Europæ principibus gererent, magna se repentè Poetarum Gallicorum copia effudit ad vtriusque facta decoranda his versibus lingua vernacula conscriptis, qui veterum græcorum latinorumque carminum gloriam & verborum splendore & sententiarum grauitate & numeroso ipso concentu facile adæquarunt: sed latino sermone qui hodie omnium latissimè diffusus nullis regionum aut gentium finibus & terminis circumscribitur, multi ex Italis, pauci ex hominibus nostris vates egregij excellentesque floruerunt: quò facilius opinor mihi illi veniam daturi sunt, qui in cæteris quidem artibus & scientiis mediocritatem tolerabilem esse credunt, in versibus verò quidquid paululum à summo gradu decesserit, continuò ad imum vergere & delabi existimant: cùm præsertim si quis nobis à natura huius poeticæ facultatis igniculi inerant, eos omnes diuturna rerum maximè diuersarum tractatio, & per viginti ferè annos assidua occupatio forensis obruerit & pænè extinxerit. Quidquid tamen ex illis quasi altissimo cinere abditum à nobis erui ægréque & laboriose exsuscitari potuit, id omne in hanc Pindaricam interpretationem nulli nec veterum nec recentium scriptorum tentam

li-

libentiſsimè contuli: partim quòd in his libris veterum Heroum inſignia cuncta facinora virtutéſque ad imitandum propoſitas & vtilia pleraque vitæ præcepta contineri videbam; partim quòd huius authoris grauiſsimi ſtylum ſententiarum ſublimitate rerumque antiquitate inobſcuratum, atque ideo ab illius cognitione iucundiſsima plures abalienatos intelligebam. Nec verò mihi abſurdum viſum eſt perpetuam quandam fortitudinis laudem Pindaricis hymnis expreſſam tibi, Rex Chriſtianiſsime & inuictiſsime, vni omnium noſtræ ætatis principum longè fortiſsimo, & in vario bellorum, præliorum, victoriarumque genere exercitatiſsimo, dedicare & conſecrare. A quo quidem propoſito ne me id quidem deterruit: quòd iam vniuerſi operis ſingulos libros primariis regni tui viris deuoueram: Cùm enim illi ipſi togatorum Galliæ principes maximè & natura & fortuna & voluntate tui ſint, æquum mihi viſum eſt Carmina iam illis donata & delicata in auguſtæ quoque Maieſtatis tuæ dominio cenſeri. Sed iam tempus eſt me ad inſtitutum, ſuſceptumque munus accedere, ſi priùs tamen Deum optimum maximum ſanctè orauero, obteſtatuſque fuero, vt te diutiſsimè regno Francorum ſaluum, incolumen, florentémque conſeruet, vtque prudentiſsima conſilia & magnanimos conatus tuos ſemper exoptatus, & felix, & verè Chriſtianus exitus conſequatur.

Cùm verò nostra patrumque memoria Franciscus magnus & Henricus secundus, Augusti, bella longè difficillima cum ferocissimis Europæ principibus gererent, magna se repentè Poetarum Gallicorum copia effudit ad vtriusque facta decoranda his versibus lingua vernacula conscriptis, qui veterum græcorum latinorumque carminum gloriam & verborum splendore & sententiarum grauitate & numeroso ipso concentu facile adæquarunt: sed latino sermone qui hodie omnium latissimè diffusus nullis regionum aut gentium finibus & terminis circumscribitur, multi ex Italis, pauci ex hominibus nostris vates egregij excellentesque floruerunt: quò facilius opinor mihi illi veniam daturi sunt, qui in cæteris quidem artibus & scientiis mediocritatem tolerabilem esse credunt, in versibus verò quidquid paululum à summo gradu decesserit, continuò ad imum vergere & delabi existimant: cùm præsertim si quis nobis à natura huius poeticæ facultatis igniculi inerant, eos omnes diuturna rerum maximè diuersarum tractatio, & per viginti ferè annos assidua occupatio forensis obruerit & pænè extinxerit. Quidquid tamen ex illis quasi altissimo cinere abditum à nobis erui ægréque & laboriose exsuscitari potuit, id omne in hanc Pindaricam interpretationem nulli nec veterum nec recentium scriptorum tentatam

li-

libentiſsimè contuli: partim quòd in his libris veterum Heroum inſignia cuncta facinora virtutéſque ad imitandum propoſitas & vtilia pleraque vitæ præcepta contineri videbam; partim quòd huius authoris grauiſsimi ſtylum ſententiarum ſublimitate rerumque antiquitate inobſcuratum, atque ideo ab illius cognitione iucundiſsima plures abalienatos intelligebam. Nec verò mihi abſurdum viſum eſt perpetuam quandam fortitudinis laudem Pindaricis hymnis expreſſam tibi, Rex Chriſtianiſsime & inuictiſsime, vni omnium noſtræ ætatis principum longè fortiſsimo, & in vario bellorum, præliorum, victoriarumque genere exercitatiſsimo, dedicare & conſecrare. A quo quidem propoſito ne me id quidem deterruit, quòd iam vniuerſi operis ſingulos libros primariis regni tui viris deuoueram: Cùm enim illi ipſi togatorum Galliæ principes maximè & natura & fortuna & voluntate tui ſint, æquum mihi viſum eſt Carmina iam illis donata & delicata in auguſtæ quoque Maieſtatis tuæ dominio cenſeri. Sed iam tempus eſt me ad inſtitutum, ſuſceptumque munus accedere, ſi priùs tamen Deum optimum maximum ſanctè orauero, obteſtatuſque fuero, vt te diutiſsimè regno Francorum ſaluum, incolumen, florentémque conſeruet, vtque prudentiſsima conſilia & magnanimos conatus tuos ſemper exoptatus, & felix, & verè Chriſtianus exitus conſequatur.


Ad Amplissimum Virum

CHRISTOPHORVM

THVANVM,

In intimo Consilio Regis Consiliarium, & Parisiensis Curiæ Primum Præsidem,

N. SVD. P.



OLONEM Athenienſem, Vir ampliſſime, non ſolùm prudentem Legiſlatorem, ſed egregium etiam Poetam fuiſſe ſcripta eius abundè teſtantur: quorum nonnulla, quaſi è communi illo bonarum literarum naufragio ſeruata, ad noſtram vſque ætatem permanſere. Quòd ſi, vt ſcribit Plato in Timæi principio, μὴ παρέργῳ τῇ ποιήσει κατεχρήσατο, ἀλλ᾽ ἐσπούδακει καθάπερ οἱ ἄλλοι, οὔτε Ἡσίοδος, οὔθ᾽ Ὅμηρος, οὔτ᾽ ἄλλος τῶν ποιητῶν ἐυδοκιμώτερος ἐγένετο, ἄν ποτε αὐτοῦ. hoc eſt: ſi non perfunctoriè, ſed ſeriò & ex inſtituto poëticam artem Solon tractare voluiſſet, nec Homerus, nec Heſiodus, nec alij excellentes Poëtæ illum vnquam elegantia carminum, aut ingenij gloria ſuperaſſent. Ac mihi Græcorum & Romanorum hominum ſtudia antiqua memoria repetenti, ſæpiſſimè in mentem venire ſolet, vix vllum in cæteris artibus & ſcientiis abſtru-

ſtruſis & reconditis præſtantem virum reperiri poſſe, qui non ſeuerioribus aliis, & maioribus ſtudiis hanc poëticę facultatis ſuauitatem & hilaritatem aliquando aſperſerit. Nam, vt Platonem & Ariſtotelem omittam, omnis doctrinę & eruditionis antiſtites, quorum hymni adhuc & epigrammata quorundam autorum monumentis inſerta, poſteritatem non ſine admiratione delectant: Hoc certè negari non poteſt, apud Romanos etiam, qui grauitati & decoro magis quàm Græci ſtuduiſſe dicuntur, M. Tullium, & M. Varronem, duos eiuſdem ętatis homines literarum omnium cognitione pręſtantes, plurima omnis generis poëmata edidiſſe: quorum alterius, quanquam poëſis ab antiquis non admodum probata ſit, amor tamen carminum illi adhuc puero inſitus & innatus à Plutarco ſummopere commendatus eſt. His ego Senecam Philoſophum, Corn. Gallū & Silium Italicū oratores clariſſimos, aliôſꝗ; complures omnium ætatem facilè principes adiicerem, ſi apud te vllum huis rei nobilius aut illuſtrius exemplum, quàm à te ipſo ſumi poſſet, qui quamuis tot iam annos in Reipublice adminiſtratione magna cum gloria, magníſque laboribus verſeris, atque ad hoc munus ampliſſimum omnium grauiorum artium & ſcientiarum cognitione inſtructiſſimus acceſſeris, non ideo tamen tibi lenius hoc & amœnius poëtarum ſtudium vnquam

ne

negligendum aut contemnendum putasti: sed illius iucunditate ita duceris adhuc quodammodo & delectaris, vt qui te selecta antiquorum poetarum carmina memoriter recitantem & pronunciantem audiat, non te illa ab aliis didicisse, sed à te ipso sumpsisse existimet. Qui verò eruditissimos tuos & absolutissimos versus legat, nulli te arti, aut scientiæ vehementius, quàm poeticæ studuisse arbitretur. Sed erunt fortasse nonnulli qui aliorum exemplo, & tuo præsertim, permoti ac penè conuicti, poetas quidem ipsos diuino quodam ingenio preditos admirentur: verùm eorum interpretes, quasi seruilis operæ homines, & aliorum imitationi planè addictos & obnoxios, nullo in honore aut pretio habendos putent: quorum opinioni & sententiæ vix illi accedent, qui meminerint Romanos vates antiquissimos non minorem penè gloriam ex interpretatione Grecorum Poetarum, quàm ex propriis scriptis adeptos olim & consecutos. Cicero certè scribit libro 1. de Finibus quamuis multa ex Platone & Aristotele hauserit, non tamen se sic vtrumque vertisse, vt verterunt Latini Poetæ Græcorum carmina & fabulas; & idem in libro De optimo genere Oratorum, conqueritur magnum esse in orationibus à Græco conuersis Romanorum hominum fastidium, cùm nullum planè esset in versibus: & nonnulli eo

tem-

tempore magis Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuuij, quam vtramque Euripidis probarent. Ac magno quidem rei literariæ detrimento Pacuuij, Actij, Attilij fabulæ de Græcis ad verbum expressæ non extant: Terentius verò, & Plautus, & Valerius Catullus in doctorum omnium manibus vel potiùs in sinu, animísque versantur: quorum Plautus & Terentius sese vbique Græcorum poetarum interpretes esse gloriantur. Valerij autem Catulli nonnulla è Greco sermone in Latinum conuersa plurimum vtrique linguæ & splendoris & ornamenti afferunt. Quod si quis ab interpretibus Græcorum Poetarum omnino abhorreat, videat, quæso, ne multum de Poetarum ipsorum gloria & honore detrahat, vixque eorum famam, & existimationem integram tueri possit. Scribit enim Plato in Dialogo, cui nomen est Ion, siue de Iliade, rapsodos quidem poetarum enarratores vulgò haberi: poetas verò ipsos nihil aliud esse, quàm Apollinis & Musarum præstantes quosdam & eximios, & planè diuinos interpretes. Quòd si alij poetæ Græci, vt Sophocles, Euripides, Homerus, Theocritus, elegantiæ, grauitatis, & doctrinæ ergo aliquando Latinitate donati sunt, Pindarus certè poeta huiusmodi est, vt in ciuitatem Romanã summis præmiis propositis, vltro etiam allici & inuitari debeat. Et enim, quemadmodũ Quintilianus ait, spiritus,

ritus magnificentia, sententiis, figuris, rerum ac verborum copia, & veluti quodam flumine eloquentię perfecit, ne quis eum vnum ex omnibus Poëtis Græcis & Latinis sequi hactenus aut imitari auderet. Duo sunt omnino in hoc vate excellenti, quæ nescio an excusare, an verò potiùs profiteri, laudare, & prædicare debeam: Vnum, quòd sæpè instituto sermone abrupto, & planè derelicto, in aliarum rerum magnarum certè, & cognitione dignarum, vacua spatia liberè vel potiùs licenter excurrit: Alterum, quòd sumpto sibi & proposito victore aliquo, diutius nonnunquam in patria illius, quàm propria & peculiari virtute laudanda immoratur. Verùm enimuerò longiusculas illas digressiones, quas Græci ἐκβάσεις appellant, & à Pindaro, à cæteris Lyricis, Dithyrambicísque poëtis vsurpatas fuisse existimare debemus: partim vt hoc genere scribendi lectorum fastidium vitarent, partim vt diuersarum rerum, sententiarum, historiarum, fabularum coaceruatione, furoris & cuiusdam diuini afflatus opinionem sibi in vulgus artificiosè quærerent. In ciuitatum verò & populorum encomia & laudes Pindarum propensiorem, & quodammodo effusiorem esse oportuit. Quod veteri Græciæ instituto in certaminibus, ludísque publicis, non solùm victores præmiis affici solerent, sed etiam victornm ciuitates, vrbésque coronari,

rouari, quæ viros fortes, & egregios. & laude dignos protulissent. Nos verò in hoc Poëta exprimendo non omnia eius verba reddere & referre necessarium nobis esse duximus, sed eius tantummodo sententiam, mentémque complecti his versibus & verbis, quæ non à linguæ Romanæ vsu, & Latini sermonis nitore abhorrerent. Quicquid autem à nobis hac in re præstitum est, quod sentio quàm sit exiguum, tibi potissimùm dicare, & consecrare opportunum visum est, cuius in nos nullo nostro merito egregiam semper humanitatem experti sumus.

OLYM-

OLYMPIA PINDARI LATINO CARMINE Reddita;

PER NICOLAVM SVDORIVM, in ſuprema Parlamenti Curia Conſiliarium Regium.


ODE PINDARI PRIMA, Hieroni Syracuſano Regi, Equeſtri certamine victoriam adepto.

Eodem numero quo apud Horat. Vides vt alta ſtet niue candidum.



ATVRA *pollens vtilius nihil*
Produxit vndis: inter opes nihil
Splendeſcit æquè ſicut auri
Ignea vis, nitiduſque fulgor.
Agriua quòd ſi dicere prælia,
Forteſque pugnas, vis, animæ impiger,
Ne Sole mireris relicto
Noctiuagæ faciem Dianæ:
Nec rurſum omiſſo puluere Olympico,
Feſtiſque ludis, vllum aliud canas
Certamen: ex hoc nam perenni
Fonte virum decora alta manant,
Iouiſque laudes, quas Hieronicæ

Loquuntur ædes. Ille Hieron sacras
Leges tuetur: Rexque iussis
Trinacriam moderatur æquis.
Virtutis altæ pulchra cacumina,
Fructusque carpens: quinetiam nouem
Permistus interdum Camœnis
Pierio recreatur antro.
Sed iam iam eburnam prome, puer, lyram,
Seu Pisa, seu te Pherenicus capit,
Qui propter Alphæi fluenta
Nec stimuli, neque calcis ictum
Expertus, auras præterit, & ducem
Palmæ superbæ Sicanium admouet,
Atque huic decus gentis vetustum
A Pelopis genere vsque fluxit.
At Parca pulchri cùm Pelopis caput
Cratere mersum traxit aheneo,
Illi nouum inspirans vigorem, &
Membra humero decorans eburno.
Neptunus ignem protinus intimis
Hausit medullis, conspicuum intuens
Candore miro pusionem:
» *Vana sed hæc memorans vetustas*
» *Impunè gentes decipit, & venus*
» *Antiqua vatum callida musico*
» *Condire sermones lepore,*
» *Dat nebulis aliquando pondus,*
» *Fidemque falsis arrogat: at dies*
» *Seris recludit cuncta nepotibus.*
» *Porrò immodesta voce nulli est*



Fas

„ Fas homini violare Diuos.
O nate ditis inclyte Tantali,
Insuetatis te fidibus canam:
Nam cùm tuus lautas vicissim
Diis epulas genitor parauit:
Cunctique sedes cælicolæ arduas
Liquere, magnus tunc Deus æquoris
Te captus, incensusque amore,
Cæruleis rapuit quadrigis:
Atque hac Olympi constituit plaga,
In quam receptus post Phrygius puer
Dulcem ministrauit Tonanti
Ambrosiam, liquidumque Nectar.
Sed cùm iam ademptum te genetrix diu
Fleuisset amens, inuidia rettulit
Te fama dissectumque, & igni
Impositum, Superumque mensis,
Nempe vt placentem Cælitibus dapem.
Verùm voraces relligio est mihi
„ Cantare Diuos. Sæpè linguas
„ Pœna grauis ferit insolentes.
Quòd si quis vnquam floruit ætharis
Honore magnus, Tantalus is fuit:
Raram sed hanc fœlicitatem
Concoquere inualidus nequiuit:
Sensuque fatis dulcibus ebrius
Magna impotentis damna superbiæ;
Et nunc suis cernens in æuum
Verticibus lapidem minantem,
Vitare & illum perpetuò volens
Priore tristis lætitia exulat.

Nec

Nec quarta ſors pœnarum Auerni,
Aut labor hunc pauidus relinquit.
At fons malorum, quod Superum dapes
Et dulcis hauſtam Nectaris attulit
Mortalibus, furtimque vitæ
Delicias tribuit beatæ.
„ *Sed nullus æris excubias Deum*
„ *Fefellit vnquam. nam patrium Pelops*
Plorauit ob crimen, relapſus
In fragiles hominum cateruas.
Cùm verò læues & niueas nigra
Lanugo pinxit Tantalidæ genas,
Lecti Cupido hunc coniugalis
Admonuit, ſobolisque cura,
Pulchra vt ſuperbos Hippodamæ thoros
Ambiret: ergo in littore turbido
Vmbraque nocturna profundi
Sæpè maris dominum inuocauit.
Moxque ille canis fluctibus exiens
Deſideranti ſe placidum obtulit,
Quem ſtrenuus ſic ore fertur
Magnanimo puer allocutus:
O ſi verendum connubium tibi,
Neptune, cordi eſt, Oenomai grauem
Haſtam coerce, meque curſu
Quadrupedum rape concitato,
Trucem vt tyrãnum ſub pedibus premã,
Qui tot cruentis cædibus editis,
Et ſtrage confuſa procorum,
Hippodamæ thalamum moratur.
„ *Pericla molles non adeunt viri.*

„ *Sed*

„ Sed quando lethi est certa necessitas,
„ Cur vllus obscuram quiescens
„ Transigat in tenebris senectam?
Verùm hæc lacertis conueniet meis
Pugna, at secundos da, Pater, exitus.
Sic fatus est, nec vana in auras
Verba leues rapuere venti.
Neptunus illa nam celeres rotas,
Equosque currenti alipedes dedit,
Queis fretus & vitam superbo,
Et sobolem rapuit parenti.
Hac facta coniunx sex peperit Duces
Virtutis almæ laudibus inclytos:
At nunc Pelops grata nepotum
Voce viget, tumuloque tectus,
Alphae, iuxta fontis iter tui
Ad se frequentes allicit hospites.
Porrò omnibus lustris in orbem
Gloria Olympiadum recurrens
Latè refulget: nec Pelopis sacro
Certare cursor puluere desinit:
Nec viribus fidens iuuentus
Ancipites iterare pugnas.
„ At victor æui quod superest breuis
„ Dulci quietus transigit otio,
„ Atque antecedentes honorum
„ Lætitias noua palma dedit.
Testis Sicanæ Rex Hieron plagæ,
Cuius me equestrem dicere gloriam
Par est, caputque illi virenti
Conspicuum redimire fronde.

Nam

Nam nullus inter tot populi duces
Viuit bonarum doctior artium,
Nullius æquè nunc potestas
Iustitiæ sociata floret.
Sic nempe Diui res, Hieron, tuas,
Curasque dextro numine promouent.
Quòd si supersit vita, tollam
Te volucri per inane curru
Sublimè raptum: suauius & tuos
Cantabo honores in Cronij iuga
Aprica tendens: nam benignæ
Firma acuunt mihi tela Musæ.
„ *Nos inter illo hic clarius emicat,*
„ *Cælumque vultu celsior aspicit.*
„ *Altissimum rerum cacumen*
„ *Regibus erigitur beatis.*
Tu ne quid ergo grandius expetas,
Votis & illum fige modum tuis:
Diuique faxint, vt libenter
Nostra tibi famuletur ætas.
Atque ipse cœtus assiduè colam
Victorum honestos, nec tibi dispares,
Et nostra per Graias vbique
Fama volans celebretur oras.

ODE PINDARI SECVNDA Theroni Agrigentino Quadrigis victoriam adepto.

Eodem modo, quo apud Horat. Iam satis terris niuis atque diræ, &c.



VEM Deum, aut Heroa manu ferocem.
Quẽ virũ dulci cithara canẽus?
Iam Ioui primùm, genitrix honorum Pisa dicata est.
Hercules illic celebresque pompas
Fertur, & sacros statuisse ludos:
In quibus Theron rapuit quadrigis
Præmia victor.
Hoc velut firma est Agragas columna
Nixus, hunc hospes colit, atque ciuis.
Hic vetustorum mihi flos auorum
Iure vocandus,
Qui prius functi grauibus periclis
Amnis illustres tenuere ripas,
Et solo fulsere velut decora
Astra Sicano.
Causa fortunæ fuit eminentis
Parca virtutes cumulans opum vi:
At Rheæ fili domitor Gigantum, &
Rector Olympi:
Cuique labentes oleo palæstræ
Lymphæ & Alphai, Citharæque parent,
Fac vt ad seros veniant auorum

Ru-

Rura nepotes.
,, Quod semel factum est bene perperamue,
,, Nescit infectum fieri, retroque
,, Irritum; at tempus tacita recondit
,, Plurima nocte.
,, Sæpè & exhaustos abolet dolores
,, Gaudium præsens, vbi nos ab astris
,, Respicit vultu facilis Deorum
,, Aequa potestas.
Nempe sic Cadmi soboles vetusti
Pertulit primis mala multa in annis.
,, Sed bonis rebus cadit omnis ægri
,, Pectoris angor,
Ergo quæ quondam rapido perempta est
Fulminis tactu Semele, beatas
Nunc colit sedes, residetque Olympi
Vertice summo.
Hanc amat Diuum sator & virorum,
Diligit bellis animosa virgo, &
Bacchus imprimis hedera sequaci
Tempora vinctus.
In mari vasto vitreas & inter
Filias Nerei memorant tibi, Ino,
Post graues casus data permanentis
Otia vitæ.
,, Nemo fatalem sibi mortis horam
,, Præscius nouit, neque quando puros
,, Debeat soles, vacuósque tristi
,, Cernere nube.
,, Nos, velut fluxus maris, & refluxus,
,, Pellit incertos, hominumque vitam

,, *Gaudium alternis vicibus, dolorque*
,, *Versat acerbus,*
Vtque nonnunquam veteris nepotes
Oedipi fortuna benigna fouit.
Noxa sic illos aliquando torsit
Aetere lapsa.
Nam senem postquam Laium peremit
Impius fato iuuenis, Deique
Pythij oraclum graue Parricida
Ense probatum est.
Crimen hoc tristi furia vidente
Mutuis Reges cecidisse plagis
Vrbe Thebana memorant, piatam &
Sanguine cædem.
Vnus at Regum moriens reliquit
Præmiis auctum, celebremque belli
Laude Thersandrũ, genus vnde Adrasti
Surgeret ingens.
Noster hoc Theron proauo superbit:
Cuius insignes sociare chordis
Conuenit laudes, memorique nomen
Tradere famæ.
Namque eum palma decorauit Elis,
Pythius fratri dedit atque cursus
Isthmius nexas apio coronas
Dulce virenti.
,, *Quem suis autem foliis reuinxit*
,, *Pallas, hunc curæ fugiunt priores,*
,, *Et virum virtus opulenta bino*
,, *Munere donat.*
,, *Namque fortunam simul & decentes*
In-

,, *Ingeni dotes, animique iungit,*
,, *Estque vt illustrans hominem benigno*
,, *Lumine sidus*
,, *Affluens auro probitas: & illam*
Nos semel nacti tenebris sub imis
Crimen admissum, supera piari
Scimus in ora.
Scimus & quando scelus intuente
Sole patratum est, stygio parari
Vindices pœnas Erebo, nigramque
Iudicis vrnam.
At pij cura procul, & labore
Aeris semper nitida fruuntur
Luce, nec terram feriunt aratris,
Nec mare rostris.
Penè cælestes, gemitusque & omnis
Nescij luctus, rota dum citato
Orbe periuros agit, & nocentum
Membra laborant.
Tertia quòd si vice iam renati
Quipiam insontes placidique semper
Vixerint, illis aperit beatas
Iuppiter oras.
In quibus lenes zephyri virentem
Insulam perflant, variosque flores
Procreat tellus, alit arbor, vdus
Irrigat amnis.
Hinc pij sumunt capiti coronas,
Brachiis texunt manibusque serta;
Postquam odorata Rhadamantus illos
Valle recepit.

Namque Saturni solio hic verendus
Assidet iudex, comitesque iuncti
Cadmus, & Peleus, Thetidisque curæ
Allectus Achilles.
Qui ferum Troiæ rapuit cadenti
Hectorem, & Cycnum domuit, nigrumq;
Memnonem Diuæ sobolem rapaci
Tradidit orco.
Sunt mea plures pharetra sagittæ
Conditæ, quarum sonitum periti
Sentiunt soli, neque turba dura
Percipit aure.
„ *Ille qui per se reperit sagaci*
„ *Multa natura sapiens, sed arte*
„ *Redditus vates strepit vt loquaci*
„ *Gutture coruus.*
„ *Et Iouis frustà rapidum lacessit*
„ *Alitem sacris tonitrus ministrum.*
Sed tuis certam, vaga Musa, telis
Delige metam.
Sume quem dulci feriamus arcu
Nobilem imprimus Agraganta, cuius
Inclitus Theron decorat recenti
Mœnia fronde.
Testor audacter Superos, nec vllum
Principem Therone benigni rem
Esse, nec dantem rata largiori
Munera dextra.
„ *Sed bonis iustas aliquando laudes*
„ *Liuor obrepens adimit, suisque*
„ *Tentat obscurus tenebris micantem*
Con-

Condere famam.
Cæterùm donis, meritisque Theron
Plurimis crebros superauit ignes
Syderum, & densæ tenues aceruos
Vicit arenæ.

EIDEM THERONI THEOXENIA, siue Ode Pindari Tertia, quæ incipit:

Τυνδαρίδαις τε φιλοξείνοις ἁδεῖν.

Eodem numero, quo illa apud Horatium dicolos tetrastrophos, Scriberis vario fortis & hostium.



V M *palmam numeris dulcibus alteram*
Theronisque iterum quadriiuges equos
Victores canimus, teq; Agragas nouis
Offers rursus honoribus:
Vos ò grata vagis sidera nauitis,
Clari Tyndaridæ, tuque Helene, soror
Amborum, placidis accipite auribus
Thebanæ sonitum lyræ.
Et tu blanda faue, Musa, nouum vt melos
Indictumque graui pectine concinam,
Quo conuiua frequens gaudeat, & solũ
Alterno feriat pede.
Hoc a me rapidi Cornipedes iubam:
Nexis impliciti floribus exigunt:

Vtque altum variis cantibus, & modis
Theronem celebrem petunt.
Hoc & Pisa iubet, quæ decus acribus
Donat grande viris, cùm stadij arbiter
Graij, iussa sequens intrepidi Herculis
Victrices iuuenum comas
Læta fronde oleæ Palladiæ tegit.
Illam à Danubij fontibus vltimis
Alcides referens perpetuum addidit
Ludis munus olympicis.
Postquam Hyperboreos Phœbicolas prece
Commouit populos, Graiugenæ vt sibi
Plantã vitæ hominum fructiferã darẽt,
Et virtutibus vtilem.
Namque is sancta Ioui templa sacrauerat,
Et iam conspicuæ lumine Cynthiæ
Pleno, festa aliquot lustra propè Elidis
Amnem condiderat sacrum.
Illustri sed enim deerat adhuc solo,
Et valli pelopis densa oleæ coma,
Qua frandata nimis clari Hyperionis
Feruebat radiis humus.
Ergo Heros gelidis montibus Arcadum
Decedens adiit Danubij vada
Se gratum & Triuiæ præbuit hospitem
Tunc cùm dura necessitas,
Eurystheusque ferox compulit hunc sequi,
Et cursu volucrem & cornibus aureis
Ceruam, quam Dryadum Taygete soror
Venatrici aluit Deæ.
Illam in lustra sequens impiger Hercules.
Istro

Istro contiguas & Boreae domos
Perlustrasse vagus fertur, & arbori
Adiecisse oculos noua.
Nec desiderium deposuit prius
Quam nudum Argolici curriculi locum
Seuit palladis stirpibus, & graues
Aestus frondibus expulit.
Vnde hac sacra libens nunc adit Hercules,
Quae iusta hospitibus nos facimus Diis,
Et secum armiferos Tyndaridas Iouis
Ac Ledae sobolem trahit.
Illis namque petens aethera Olympicos
Decursus, & equis & celebres viris
Commisit: sed enim pandere iam libet
Illustre Emmenidum genus.
Theronemque nouis dicere honoribus
Efferri iuuenum munere equestrium,
Quorum Leda parens, hos quoniam pius
Mactatis gregibus colit.
Conuiuasque epulis mille adhibet sacris,
Et placat solitis numina ritibus.
,, Vtque vndis nihil est vtilius, nihil
,, Auro splendidius micat.
Sic Elaea ferens praemia nunc caput
Theron longè aliis altius extulit,
Et verè Herculea stirpe satus, manu
Metas attigit Herculis:
Vltra quas iter est omnibus inuium.
Et doctis hominum, & desipientibus.
Huc me fata vetant tendere inanibus
Vasanum comitem viris.

ODE PINDARI QVARTA PSAVMIDI equestri certamine victoriam adepto: quæ incipit,

Ἐλατὴρ ὑπέρτατε βροντᾶς ἀκαμαντόποδος Ζεῦ.

Eodem numero, quo apud Horat. vides vt alta stet niue candidum.



QVI corusca fulgura dextera,
Fulmenque torques, Iuppiter, igneum,
(Nam me status semper tuarum
Orbis Olympiadum reuertens,
In se & reflexus prouocat, vt lyra
Fretus sonanti, pectora fortium
Dicam virorum, quos amici
Laude noua celebrant ouantes.)
Sed rector Aethnæ qua iacet obrutus
Pressusque Typhon, accipe iam modos:
Non artis expertes, nec acta
Clara virum numeros tacentes.
Lyramque currus Psaumidis aureos
Audi canentem. Psaumis enim caput
Fælici oliuæ fronde cingens
Grande decus patriæ reportat.
Sic ille semper sentiat exitus
Rerum secundos, qui nitidis equis
Vectatur, & lautus benignos

Hospitibus reserat penates.
Pradulcis autor ciuibus otij,
Vitaque gaudens criminis inscia.
» Nec vana testor: namque prodit
» Ingenium, latebrasque mentis
» Recludit omnes experientia.
Hac vsa matrum Lemniadum cohors
Cessauit Ergini seniles
Opprobriis onerare crines.
Nam quando tectus membra micantibus
Erginus armis, ante alios celer
Decurrit, hac meta propinquum
Voce ferunt retulisse anhela.
Regina cursus Hypsipyle meos
Miraris: at me talem animo puta,
Cùm bella poscunt, nec feroci
Marte minùs, manibusque promptum.
» Dextra & lacertis nil capitis niues
» Obsunt, sed annos praeueniens labor
» Conspergit interdum virentem
» Canitie celeri iuuentam.

ODE PINDARI QVINTA Agesiæ Syracusio sostrati filio, vehiculo victoriam adepto:

Quæ incipit,

Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου.

EIVSDEM ARGVMENTVM.

Hoc carmine Agesiam Syracusanum Pindarus laudat, præcipuè à generis vetustate & nobilitate. Nam Pythana Nympha, à qua & Pythanæ vrbi nomen impositum, filia Eurotæ fluminis fuit, quæ adamata à Neptuno Euadnam Nympham formosissimam peperit, atque illa ab Epito Arcadiæ Rege educata, ex Apolline clàm filium Iamum genuit, qui à matre timida derelictus in sylvis, & à draconibus melle enutritus, moxq; paterna vaticinij arte instructus, magnam in Elide nominis claritatem assecutus est: gloriamq; & artem posteris suis reliquit, quorum in numero hic Agesias fuit, qui vehiculo mulari victoriam in ludis Olympicis adeptus est. Sed quoniam hoc mulare certamen Romanis auribus insolens visum fuisset, nos illud in cursum equestrem Pindarica quadam libertate, vel potiùs licentia conuertimes, in rebus grauibus & seriis maiori alias religione vsuri.

Eodem

Eodem numero, quo Secunda.



T domum auratis stabilem co-
lumnis
Artifex ponit, decoratque cel-
sum
Limen imprimis, ebore, & micanti
Vndique gemma:
Prima sic nostri faciesque fronsque
Carminis latè niteat refulgens.
Ergo si quisquam foliis oliuæ
Tempora cingit:
,, *Si quis & castus Superum sacerdos*
,, *Viuit, & priscos patriæ parentes*
,, *Stirpis autores propriæ recenset*
,, *Ordine longo,*
,, *Semper hunc dulces numeri loquentur,*
,, *Ciuium prauus modo liuor absit:*
Sostrati verò soboli illa triplex
Gloria parta est:
,, *Tutior virtus, rigidaque nunquam*
,, *Icta fortunæ grauibus procellis,*
,, *Nec solo illustris, neque fertur altum*
,, *Clara per equor.*
,, *Longa sed pulchros hominum labores*
,, *Fama per terras memorat. tibi autem*
Victor insignis pia vox Adrasti
Conuenit illa,
Qua sui est funus graue prosequutus
Auguris, quando volucres quadrigas
Ipsum & aurigam patulis Auernus
Faucibus hausit.

Lu-

ODE PINDARI QVINTA

Agesiæ Syracusio sostrati filio, vehiculo victoriam adepto:

Quæ incipit,

Χρυσέας ὑποστάσαντες εὐτειχεῖ προθύρῳ θαλάμου.

EIVSDEM ARGVMENTVM.

Hoc carmine Agesiam Syracusanum Pindarus laudat, præcipuè à generis vetustate & nobilitate. Nam Pythana Nympha, à qua & Pythanæ vrbi nomen impositum, filia Eurotæ fluminis fuit, quæ adamata à Neptuno Euadnam Nympham formosissimam peperit, atque illa ab Epito Arcadiæ Rege educata, ex Apolline clàm filium Iamum genuit, qui à matre timida derelictus in syluis, & à draconibus melle enutritus, moxq; paterna vaticinij arte instructus, magnam in Elide nominis claritatem assecutus est: gloriamq; & artem posteris suis reliquit, quorum in numero hic Agesias fuit, qui vehiculo mulari victoriam in ludis Olympicis adeptus est. Sed quoniam hoc mulare certamen Romanis auribus insolens visum fuisset, nos illud in cursum equestrem Pindarica quadam libertate, vel potiùs licentia conuertimes, in rebus grauibus & seriis maiori alias religione vsuri.

Eodem

Eodem numero, quo Secunda.



T *domum auratis stabilem columnis*
Artifex ponit, decoratque celsum
Limen imprimis, ebore, & micanti
Vndique gemma:
Prima sic nostri faciesque fronsque
Carminis latè niteat refulgens.
Ergo si quisquam foliis oliuæ
Tempora cingit:
„ *Si quis & castus Superum sacerdos*
„ *Viuit, & priscos patriæ parentes*
„ *Stirpis autores propriæ recenset*
„ *Ordine longo,*
„ *Semper hunc dulces numeri loquentur,*
„ *Ciuium prauus modo liuor absit:*
Sostrati verò soboli illa triplex
Gloria parta est.
„ *Tutior virtus, rigidæque nunquam*
„ *Icta fortunæ grauibus procellis,*
„ *Nec solo illustris, neque fertur altum*
„ *Clara per equor.*
„ *Longa sed pulchros hominum labores*
„ *Fama per terras memorat. tibi autem*
Victor insignis pia vox Adrasti
Conuenit illa,
Qua sui est funus graue prosequutus
Auguris, quando volucres quadrigas
Ipsum & aurigam patulis Auernus
Faucibus hausit.

Lu-

Lugeo castrorum oculum meorum,
Inquit Adrastus, dubiique vatem
Prascium casus, & obire belli.
Munera fortem.
Dupli em hanc laudem, geminasq; dotes
Possidet nostri moderator hymni:
Dicere hoc ausim, mea nec Camœnæ
Verba refellent,
Iunge sed promptos mihi iam iugales,
Philtis vt planum spatium volanti
Proterens curru, ferar ad vetustum
Stemma virorum.
Non equis vllum est iter incitatis
Notius, postquam semel hi coronas
Deditas, iustumque tulere sacra
Elide plausum.
Vosque vocales reserate Musæ
Carminum portas; etenim ante noctem
Est mihi sedes adeunda pulchræ
Alta Pythanæ.
Illa Neptuno sociata fertur
Mater Euadnæ rediisse, & aluo
Conscia: celasse diu latentes.
Aegra dolores.
Cynthia donec nouies renata
Virginem fido teneram ministro
Tradidit furtim, Arcadiaque Regi
Misit alendam.
Aepyto, ditem Phasanam tenent i
Cursum & Alphæi viridesque ripas,
Quas prope Euadnæ niueum decorem
Car-

Carpſit Apollo.
Sed Deo geſtans Vterum tumentem
Virgo, non triſtem latuit tyrannum
Vſque, qui Vulnus tacitum ſub imo
Corde recondens,
Protinus ſacros petiit receſſus
Pythiæ Vatis, Vitij Vt proteruum
Sciret autorem, nec inulta ſontis
Culpa maneret.
Interim Euadne patulis ſub Vmbris
Arborum, zonam poſuit, ſimulque
Hydriam auratam, Superiſque charum
Enixa puellum eſt.
Debili Nympha placidam Dianam
Reddidit Phœbus, facileſque Parcas:
Illicò & naſcens Iamus paterna
Lumina Vidit.
Sed ſolo liquit Viridi iacentem
Icta Væſano genitrix timore,
Et duo deſertum aluere dulci
Melle dracones.
(Sic Diis Viſum) redienſque Delphis
Aepytus, partum petiit recentem
Triſtis Euadnæ, ætherei quòd infans
Seminis eſſet:
Quodque ei Phœbus propria dediſſet
Arte Venturos aperire caſus,
Atque manſuram Danaas per Vrbes
Spargere gentem.
At ſibi cuncti puerum negarunt
Cognitum Viſu, licet ille quinos

Cynthia impleßet redeuntis orbes
Abditus herbis.
Inque humo verna recubans odoris
Floribus circùm, violisque tectus,
Vnde ei clarum posuere matre
Indice nomen:
Verùm vbi pubes Iami decentes
Ambiit malas, & auum & parentem
Ille sub noctem medio rogauit
Elidis amni,
Vt darent quodam sibi munus artis
Inclita vitamque hominum iuuantis.
Nec diu texit genitor paternum
Phœbus amorem.
Nam statim, ò fili generose, montem
Inquit, ascendas, populis futurum
Vndique accitis celebrem, & virorum
Laude superbum.
Nec mora, excelsas petiere vterque
Cronij sedes, vbi Phœbus illi
Bina præsagi tribuit benignus
Dona furoris.
Ac statim motus Iamus loquaces
Præpetum veros didicitque cantus:
Deinde cùm Alcides statuit frequentes
Elide lud s,
Et sacræ legem posuit palæstræ,
Cœpit hic fibris pecudum reclusis
Augur euentus aperire pingues
Ad Iouis aras.
Postea clarorum Iami nepotum

Inter Argiuos genus enitescens
Floruit factis, & opum beato
Flumine creuit.
„ *Hi quibus cordi est generosa virtus,*
„ *Lucidum vitæ per iter feruntur:*
„ *Sed viros segnes, humilesque liuor*
„ *Anxius vrit.*
„ *Ille pallescens querulis anhelat*
„ *Vocibus, si quos honor altiores,*
„ *Et magis læta facie decoros*
„ *Laurea reddit.*
Quòd si adhuc materna tibi propago
Sostrati fili est oriunda celsæ
Monte Cyllenes, volucrique Diuum
Chara ministro,
Illius donis cumulauit aras
Quem colit luctæ docilis iuuentus,
Qui regit cæstus agiles, frequensque
Mænala lustrat.
Hanc tibi certè Deus ille palmam
Victor insignis tribuisse gaudet,
Et Ioui prudens sua fulminanti
Numina iungit.
Cos vt assueuit renouare ferrum,
Sic mihi sensus acuit tuarum
Nuntio laudum, niuea superstes
Fama Metopæ.
Arcadum hæc fines habitans, tuisque
Patriæ consors atauis, placentem
Edidit Theben genus vnde magnæ
Nomen & vrbi:

Qua

Quæ sitim nostram saliente lympha
Pellit, effundens vbi lætus hymnos
Martiis necto ducibus coronas
Vsque virentes.
Sed, chori Princeps, age iam sodales
Admone, vt claram celebrent Tonantis,
Coniugem, & monstrent mihi grande partum
Carmine nomen.
Meque Bæotæ suis visitatum
Thracia fugisse Lyra cauillum:
Namque tu dulces numeros capaci
Pectore condis.
Deinde sub imi per inane cantu
Spargis, & gentes, populosque mulces,
Præco Musarum sacer, & diserti
Nuntius oris.
Sed neque excelsæ sileantur arces
Insulæ, quam nunc Hieron potenti
Temperat sceptro, Cererisque flauæ,
Persephonesque
Cultor, Aethnæique Iouis sacerdos:
Hic lyræ imprimis, fidibusque notus,
Nulla opes eius spatiosa frangat
Temporis ætas.
Et sui laudes Hieron libenter
Audiat ciuis, gelido profecti
Monte Cyllenes, Sicula vt beatus
Viueret ora.
Arcas, atque idem Siculus colonus.

Sic.

,, *Sic vbi nauim feriunt procellæ,*
,, *Anchoram nautæ duplicem profundo*
,, *Gurgite mergunt.*
Sostrati natus gemina fruatur
Patria fœlix, tumidique rector
Aequoris latum iuuenem secundæ
Dirigat aura.
Vt neque hic vnquam variantes æstum
Sentiat vitæ, dubiosque fluctus,
Nec meæ reddant Citharæ caducum
Sæcula florem.

ODE

ODE PINDARI SEXTA, QVAM Veteres ſcribunt Adeo probatam fuiſſe olim, vt aureis literis in Mineruæ templo inſcripta conſecraretur:

Cuius initium eſt,

Φιάλαν ὥς εἴτις ἀφνειᾶς ἀπὸ χειρὸς ἑλών:

In laudem Diagoræ Rhodij pugilis.

Eodem numero quo illa Horatij, Scriberis vario fortis & hoſtium.



T *Feſtis dapibus munificus ſocer*
Fulgentem pateram ſumit, & ignei
Spumantem latices purpureos meri,
Moxque illum cupida in manu
Hauſturi generi collocat, aureum
Theſauri columen, perpetuum decus
Cœnarum, & placiti coniugij nouis
Aptum pignus amoribus.
Fœlicem interea connubij vocat
Sponſum turba frequens: ſic ego nectare
Muſæo iuuenum pectora fortium
Perfundens hilares mei
Fructus ingenij dono vigentibus

In-

,, *Inuictisque viris. Nemo beatior*
,, *Illo, quem populi rumor ad athera*
,, *Iustis tollit honoribus:*
,, *Nunc hos pala leuis, nunc alios beat*
Palma blanda comes fistula cum lyra:
Vtraque ipse simul fretus amabilem
Cantare aggredior Rhodon,
Dilectam veneri Naiada, lucido
Desponsamque Deo, scilicet vt sua
Ornetur patria laude Diagoras,
Horrendis pugil artubus.
Qui victrice caput fronde reuinciens
Pugnacis retulit pramia dextera
Elao celeber puluere, nec minus
Clarus gramine Pythio.
Passim nostra etiam voce vagabitur
Cum victore, parens illius integer:
Ambos aquoribus cincta Rhodos trium
Mater detinet vrbium
Argiuis genitos Regibus. hic iuuat
Vt late Herculea fama micet domus:
Illis, & reliquis Tlepolemi simul
Carmen texere posteris.
Gens ergo patria est Tlepolemo à Ioue,
Maternum Astydame condecorat genus,
,, *Atque Amyntor auus. verum homines nigra*
,, *Errorum nebula ambiunt:*
,, *Nec nos ambiguo lumine cernimus*
,, *Nostra principium sortis, & exitum.*
Duro

Duro namque oleæ stipite perculit
Ira Tlepolemus furens
Prognatum Midea matre Lycinnium:
Tyrinthique solum cæde domestica
» *Sparsit. sæpe graues exagitat viros*
» *Ardor pectoris æstuans.*
Post Amintorida concilium Dei
Poscente ex adytis Delius intimis,
Præcepit iuuenem soluere littore
Lernæo profugas rates,
Pulsatumque locum visere fluctibus,
Quem quondam pluuia perluit aurea,
Ditauitque nouis Iupiter imbribus
Pleno largus ab æthere.
Tunc cùm prægrauido iam capiti Iouis
Impegit validum Mulciber artifex
Ferrum, & prosiluit vertice grauiter
Diuiso armipotens Dea:
Cuius voce graui protinus & solum,
Et fulgens Superum contremuit domus:
Quin mandata suis anxia liberis
Titan sollicitus dedit,
Vt fatis alacres se venientibus
Offerrent, nec eis quisquam hominum prior
Forti templa Deæ poneret, aut pius
Gratam cæderet hostiam.
» *Qui ventura animo tempora prævidet,*
» *Virtutem & faciles delicias parat:*
» *Sed quandoque virum præscia pectora*
» *Torpor languidus occupat.*

Et

„ Et ſenſus vigiles Cimmeriæ tenent
„ Obſeſſos tenebræ, ne ſapiens iter
„ Aeui. perpetuum conficiat ſui
„ Directa incolumis via.
Nam Phœbo geniti belligeræ quidem
Sacrauere locos templaque virgini
Puro in colle: ſed his nemo peruti-
lem
Flammam ſedibus intulit.
Imperfecta igitur ſacra ſine ignibus
Fecere immemores: atque ideo procul
Currus Diuæ ſuos, armaque Cecropis
Alto depoſuit iugo.
Sed lapſis Rhodiis attamen auream
Conflauit nebulam Iuppiter, & graues
Cœlo effudit opes, Pallas eis libens
Fabrilem erudiit manum.
Hinc miris hominum clara laboribus
Effulſit Rhodos, vt percelebres vias
Sculptorum manibus ficta animalia
Viuis æmula currerent.
„ Quando ars ingeniis iuncta ſagacibus,
„ Tunc naturæ agilis vis magis enitet.
Fama eſt illa vetus, cum placuit ſolum
Cœli diuidere arbitris,
Nondum exiſſe maris gurgitibus Rhodon
Monſtrantem nitidum ſideribus caput,
Ignotam ſed adhuc prorſus in intimo
Subſediſſe ſalo inſulam.
Et tunc concilio ſummi aberat Iouis,
Qui puro roſeos axe vehit dies,

Nec

Nec sors illa fuit ducta perennibus
Intenti officiis Dei.
Id rector Superum respiciens, nouis
Vrna constituit credere casibus
Rursum regna Deum; sed tenuit grauis.
Iactum Delius alea.
Nam sese sub aquis cernere iam plagam
Crescentem assiduè rettulit, ac virum
Ingentes populos pascere idoneam
Et densos pecorum greges.
Quam terram simul ac lumen & aera
Vidisset liquidis humida fluctibus,
Concedi propriis Phœbus honoribus,
Et sacris petiit suis.
Vtque illud Lachesis brachia porrigens
Firmaret, reliqui & Cælicolæ lacus
Iurarent stygios. vsque ratum fore
Supremi arbitrium Iouis.
Nec Phœbo facilis defuit exitus
Votorum, subitò namque tumentibus
Terra emersit aquis, quam tenet aureis
Distinctus radiis caput
Titan, & domitor cornipedum, quibus
Exit flamma volans naribus igneis:
Hac tellure iacens Cynthius, & sinu
Flauentem retinens Rhodon,
Septem ex æquorea virgine sustulit
Cordatos iuuenes, è quibus Erchaphus
Camiron genuit, Lindon, Ialyson
Sublimis columen domus.


Tres illi, Vt proprios incolerent lares
Discretis placidi sedibus, in tria
Diuisere solum regna, quibus dedit
Aetas nomina principum.
Atque his Vndiuago Tlepolemo in locis
Aerumnæ requies contigit & fuga:
Quin & Tlepolemum placat adhuc Rhodos
Multa cęde bidentium.
Nec Ludi interea nec iuuenum manus
Cessant, pugnæ alacris dona petentium,
Inter quos duplici fronde Diagoras
Ornatam implicuit comam.
Idem se spatiis iam quater Isthmiis
Victorem indomitum præstitit, ac solo
Illustri Nemeæ, plurima & Atticis
Cæpit præmia finibus.
Huic Argis clypei munus aheneï.
Thebis & gelidis Arcadiæ iugis
Concessi tripodes, Vestis & inclyta
Pellanæ data sexies,
Et laus Aenopiæ: nec Megaris Viri
Cuiusquam alterius iam toties fuit
Insculptum lapidi nomen, at, ò potens
Montis rector Atarbij,
Fac nostrum vigeat carmen, & hic pugil
Qui palmam Valida corripuit manu,
Illo nemo suis sit popularibus,
Nemo charior exteris.
Nam iusto innocuus carpit iter pede.

Non te magne parens Cælicolum fugit,
Vt Victoris aui Vocibus illius
Aures imbuerint piis.
Ne clarorum hominum conspicuum genus
Obscura lateat nube reconditum:
Scis quot lætitias debeat insula
Altis tota penatibus.
Si fœlix alias vita Diagora
Offendit titubans tramite lubrico,
» *Surget læta iterum. flant etiam breui*
» *Venti tempore dispares.*

ODE

ODE PINDARI SEPTIMA
Alcimedonti, & Timoſtheni luctatoribus, & Meileſiæ aleiptæ, ſiue ludimagiſtro: Cuius initium eſt,

Μᾶτερ ὦ χρυσοστεφάνων ἀέθλων Ὀλυμπία.



VPERBA *honorum mater Olympia*
Diues coronis, fœtaque præmis,
Præſaga veri, quamque pridem
Fatidici coluere vates
Cæſis periti noſcere victimis,
Araque viſis ignibus, an viros
Flauente pugnantes arena
Firma Iouis foueat voluntas:
Virtutem & illis ſidera deſtinent,
Partiſque blandum laudibus ocium:
,, *Nam multa conſultò benigni*
» *Dant Superi precibus piorum.*
Sed Piſæ ſyluis tecta comantibus,
» *Hoc carmen audi: Nunquam homini decus;*
,, *Nec fama deerit, qui domum ſe*
» *Fronde tua referet virentem.*
» *Diuerſa Diui munera diuidunt*
» *Mortalibus: nec, chare Timoſthenes,*
,, *Fœlicitatis ſtrata ſolùm*

,, Vna via est. Tibi sors Nemais
Secunda ludis: Alcimedon pari
Aetate crescens, vicit Olympia,
Qui pulcher haud turpi decoram
Segnitie faciem refellit.
Victore tali praeco frementibus
Altum theatris insonuit, canens
Aeginan, ex qua natus acer
Alcimedon, vbi mirus aqui,
,, Rectique cultus. quando potentibus
,, Errant frequentes vrbibus aduenae,
,, Distinguere insignes ab imis
,, Hospitio sapiente magnum est.
Mens alta diuum gentibus exteris
Faelicis Aeginae aequoream plagam
Substrauit, expanditque portum
Vndiuagis ratibus fidelem.
Sit ista terrae longa benignitas,
Quam luce casso Dores ab Aeaco
Rexere semper: cum coacti
Iliacos posuere muros
Neptunus atque Cynthius, hi sibi
Duri sodalem muneris Aeacum
Sumpsere, Troianasque soli
Tollere huma renuere moles.
Quod fata vellent excipientibus
Subinde bellis Pergama post graues
Ardere pugnas, & nigrantem
Vrbe iaci rutilante fumum.
Sed quando saxis Troia recentibus
Munita fulsit, protinus in nouas

Re-

Repſere ſedes tres ab imis
Cærulei latebris colubri.
Ex his relapſi præcipites duo
Flauere vitam, tertius horridum
Exibilans, foſſamque ſaltu
Præteriit, pauidaſque turres.
At monſtra Diuûm Delius intuens,
Obſeſſa, dixit, vincitur Ilios
Hac parte valli, quam caduca
Ars hominis fragilem reliquit.
Hoc ille ſignis triſtibus indicat,
Qui rubra dextra fulmina concutit,
Sed quando iam Parcæ ruinas,
Aeace, Dardanias parabunt,
Turmis Achiuum nuſquam aberit tua
Armata proles: natus at impias
Inuadet arces, haſque multa
Cæde madens pronepos cremabit.
Sic fatus augur in Lyciam volat,
Atque hinc equeſtres viſit Amazonas,
Iſtrique fontem, nec moratus
Nauigeræ dominator vndæ
Tranſmittit aureis curribus Aeacum,
Dulces ad oras Aenopiæ, & ſimul
Ipſe incitato fertur axe
Ad bimarem rapidus Corinthum,
Vt ſpectet aris impoſitas dapes.
» Res nulla cunctos æquè homines iuuat.
Quòd ſi reflexa voce ad acta
Meileſiæ pueri recurram,
Atque huic ephebos in teneræ canam

Aetate fractos, gramine Olympico
Ne liuor obstet, namque eandem
Et Nemea retulit coronam:
Vir deinde factus, calcibus & truci
Pugno feroces perculit æmulos:
Nunc fessus annis efficaci
Firmat acres iuuenes oliuo.
„ Docere solus, qui didicit, potest,
„ Inculta cæco robora fluctuant
„ Errore semper, mensque fixa
„ Arte carens leuiter vacillat.
Perfectus vsu Meilesias viam
Demonstrat illam rectiùs omnibus,
Quæ laudis ad celsum cacumen
Per stadij loca sacra ducit:
Hunc æquat astris Alcimedon, toris
Victor perunctis terdecimus nitens:
Fortuna certè blandienti
Ore decus puerile iuuit.
Verùm eruditi vis quoque quattuor
Aequalibus iam verba minacia
Extorsit, & lætos regressus
Eripuit, tumidumque fastum.
Honore tanto victor auum grauem
Tristi senectæ pondere subleuat.
„ Qui pulchra patrat, nescit atræ
„ Mortis iter, trepidumque funus.
Sed me excitantem iam decet infima
Tellure manes, Blepsiadis sui
Narrare certamen nepotis,
Blepsiadis venit illa palma

Iam

Iam sexta, ludis nata frequentibus:
,, Laudem sepulti legitimam petant,
,, Et grata cognatas ad vmbras
,, Fama sui generis refertur.
Iphio vt illic Angeliam audiet
Natam volantis Mercurij alitem,
Hoc protinus commune gentis
Callimacho decus indicabit,
Prisco creati sanguine posteri
Nouis vetustas diuitiis opes
Exaggerent, morbique latam
Vsque domum fugiant acuti.
Hinc liuor absit pallidus aureo
Vicini aceruo, teque Deum parens
Custode, proles hac in æuum
Vrbe potens dominetur alta.

ODE PINDARI OCTAVA

Epharmosto Opuntio Luctatori.
Cuius initium est,


Τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ

Eodem numero quo illa apud Horat.
Iam satis terris, &c.

ARGVMENTVM.

Huic carmini Pindarus fabulam subobscuram inseruit. Hæc autem eiusmodi est. Deucalion, qui & alio nomine Opuns vocabatur, magni Iapeti nepos, post inundationem Græciæ, è Parnasso monte in eam regionem profectus dicitur, quæ Locris postea appellata est, quem in locum filiam suam Protogeniam adduxit, atque ea, cùm Epeorum, siue Eleorum fines inuiseret, ob insignem pulchritudinem rapta est à Ioue, & grauida facta: postque Locro regi tradita in matrimonium: qui quidem cum orbus esset, & iam decrepitæ ætatis, si Poëtis creditur, non ægrè partum vxoris suppositititum tulit, sed filium Iouis & Protogeniæ sibi adoptans, illi & nomen Opuntis aui materni imposuit, & vrbem concessit, in quam coloniam suo arbitratu deduceret. Quæ vrbs metropolis postea Locridis regionis facta est, & perpetuò antiqui Regis Opuntis nomen retinuit, atque in ea proauos Epharmosti victoris principatum obtinuisse Pindarus testatur.

SAE-


SAEPE iactatum Parij poetæ
Carmen, Epharmoste, triplexque vulgo
Tinniens hymnus, resonante Pisa
Floruit olim.
Cùm tu ouans cœtus hilares ad illos
Duceres cantus, in aprica montis
Cronij, & festa fremeret iuuentus
Læta chorea.
Sed tuos arcus modò, Musa tende
Viribus magnis, Superumque Regem,
Et simul terrarum apicem, caputque
Elida canta.
Quam Pelops doti pretium laborum
Maximum accepit, soceri cruento
Axe subuerso thalamis potitus
Hippodameiæ:
Deinde post Pisam volucri sagitta
Pythias pugnas, aliosque rursum
Ege victoris titulos, humum sic
Alta relinques:
Atque iter cœlo facies, palæstræ
Principem exornans fidibus canoris:
Hunc Opuns dulces venientem in auras
Fouit alumnum.
Digna Opuns nostris numeris, vt eius
Ciuis antiquæ genus vrbis, in qua
Eminet sedes Themidisque sanctæ,
Eunomiæque,
Debiles turbas hominum tuentis.

Hic locus porrò iuuenes virentes:
Donat Alphæo, validaque pube
Pythia complet:
Vnde præclaris foliis coronæ
Mille frondosam religant Opunta
Fortis altricem populi, & parentem
Locridis oræ;
Ast ego chara loca ciuitatis
Lumine illustrans radiantis hymni,
Ocyus curru celerisque nauis
Alite remo
Publicas laudes per inane mittam:
(Si Deum iussu nitidis in hortis
Colligo pulchros Charitum decenti
Pollice flores.)
" *Namque formosis sine Gratiis nil*
" *Dulce, nec latum est: hominique mentem*
" *Solus impertit Deus, aut viriles*
" *Robur in artus.*
Testis Alcides, ope qui Tonantis
Fuscinam claua repulit minantem,
Cùm Pylum iuxta datus hostis illi
Rector aquarum.
Quin & aurato metuendus arcu
Phœbus Alcmena genitum refugit:
Virga nec pollens domino seueri
Profuit Orci,
Hanc licet dextra quatiens fugaces
Condat obscuris animas cauernis.
Sed parum sanctos docilis Thaleia
Respue cantus.

Illa

„ *Illa doctrina est odiosa, quæ vim*
„ *Eleuat Diuum, minuitque cultus:*
„ *Nec carent cæco nimium superba*
„ *Dicta furore.*
Desine antiquas memorare pugnas
Cælitum, & motus veteres Olympi.
Atque formosæ cane rursus oras
Protogeneiæ.
His larem primùm posuere terris
Alta Parnassi iuga deserentes
Pyrrha, virque eius, pereunte soli
Orbe relicti:
Qui duo effæti, vetulisque segnes
Artubus, iactu lapidum dederunt
Alteram prolem, vocitant & inde
Λαὸν Achiui.
Sed quid ad priscos referor parentes?
„ *Vt liquor Bacchi veteris palato*
„ *Gratior, sic & sonitus recentis*
„ *Dulcior hymni.*
Attamen quondam (neque fama mendax)
Abditi ponto latuere montes,
Postque diffusas maris hausit vndas
Terra resorbens.
At tui victor proaui beatam
Vsque rexerunt patriam Deorum
Rege prognati Iapetique magni
Nepte decora.
Iuppiter namque, vt memorant, Opuntis
Filiam Elææ rapiens ab ora.

Clanculum huic Zonam nemorosa subter
Manala soluit :
Deinde eam semen graue iam ferentem
Misit in Locri viduos penates,
Ne virum auferret sterilis senectus.
Prolis egentem.
Natus est illinc generosus infans.
Stirpe diuina, puerque risit
Blandum adoptiuus genitor, deditque
Nomen auitum.
Post eum cernens facie atque factis,
Certa cognati dare signa cæli,
Locrus optanti populos & altam
Tradidit vrbem.
Venit huc Thebis, validisque ab Argis
Creber & Pisa, & Pholoe colonus,
Venit & Phthia venerandus hospes
Actore natus.
Ille Patroclum genuit profectum
Militem quondam geminis Atreidis,
Quique bellantem stetit vsque pugnans
Propter Achillem :
Telephus quando Danaos pauentes
Acer impegit ratibus cruentis,
Et manus Patrocli, animusque in armis,
Arsque reluxit.
Quin Dea illustris soboles marinæ
Voce spectatum monuit fauenti
Vt sua per bella pedem propinquum
Figeret hasta.
Semper o nostra noua verba lingua

Sup-

Suppetant, semperque volante raptus
Axe, res gestas hominum per auras
Spargere possim,
Nuntius, vatesque potens & audax
Porrò amor tecti vetus hospitalis
Et fides constans iubet, & probata
Lampromacchi vis,
Huius vt frondes meritas Corinthi
Littore excelso sociare palmæ
Coner, Epharmoste, tuæ, duplexque
Iungere robur.
Qua die Pisa tua laus refulsit
Isthmiam huic virtus retulit coronam
Sed tibi post bis Ephyræ sub altis
Vincere muris
Contigit, curua Nemeæque valle,
Tu virum Argiuo domitor theatro,
Cecropis campo tibi cessit olim
Iunior ætas.
Quid canam vt clara Marathonis oræ
Victor hic furtim puerile fraudans
Agmen, ante annos tulerit virilis
Pondera luctæ.
Dona capturus phialas nitentes
Læuis argenti, stetit ille firmus
Semper ingentesque viros latenti
Subruit astu.
Quos solo stratos, humilesque linquens,
Maximam ò quanto fremitu coronam
Transiit, pulchra vt facies decoris
Profuit actis?

Insuper tellus Iouis hunc Lycæi
Sæpè mirata est, Chlamydisque notæ
Præmium Pellana virum labori
Tradere sueta,
Obiicem nimbo, rapidisque ventis:
Adde Thebanæ sonitus arenæ,
Adde quos eius reticens Eleusis
Seruat honores.
„ Summa Naturæ facilis potestas,
„ Et tamen docti meruere famam
„ Plurimi, verùm sine Diis siletur
„ Vtraque virtus.
„ Ars potens artem superat, nec vnæ
„ Sola nos omnes meditata pascit.
„ Mentis est ædes sapientis alto in
„ Monte locata.
Cuius interpres, Erato, canora
Voce dic artus agiles, manusque,
Vultum & ardentem iuuenis supremo
Aethere lapsi.
Ille victrices etiam corollas
Gaudet Aiaci posuisse Oileo
Nuper, & sacram cumulasse fibris
Pinguibus aram.

ODE PINDARI NONA

Agesidamo locro Epizephyrio, qui puer pugilatu victoriam adeptus est.

Cuius initium est,

Τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι Ἀρχεστράτου παῖδα.

Eodem numero, quo illa Horatij, Inclusam Danaen turris ahenea.



RCANVM *relegens Melpomene mei.*
Cordis, dic vbi sit nomen amabile
Scriptum Agesidami, nam iuueni sonos
Dulces debeo, iam diu
Oblitus. sed enim tuque hilaris Dea,
Supremique Iouis filia Veritas,
Me spreti hospitij crimine soluite,
Et linguæ vitio leuis.
Longam pigra dies vsque trahens moram
Nos æris cumulo merserat inscios,
„ *Verùm cœpta grauis iurgia crediti*
„ *Fœnus mitigat affluens.*
Ergo fluctus vti littora verberat,
Et conchas rapido perluit æquore:
Detergat veterem sic animi notam
Riuo lingua volubili.

Pen-

Pendamusque lyra carmina Delia
Sperata pretium nobile gratia:
Locros namque sitos ad zephyrum licet
Veris tollere laudibus.
Ille Calliopen, & rigidum colunt
Martem belligeri. Maximus Hercules
Cycno compositus principio leuem
E pugna retulit gradum:
Sic Agesidamus fessus Olympicis
Cedebat spatiis, sed puero nouum
Robur rursus Hylas impiger addidit,
Dextram & brachia dirigens.
Grates victor agat quas Phrygibus fuga.
Versis Aemonio prosoluit duci
„ *Patroclus. Quoties pectora quispiam*
„ *Iam lassis acuit viris,*
„ *Horum sape decus nubibus arduis*
„ *Exaquat Superis auxiliantibus.*
„ *Pauci, quos placidos, & sine puluere,*
„ *Vita lux honor ambiat.*
Sed me iussa Iouis nunc stimulant, Vti
Spectaculum egregium, & curriculum
capax
Virtutum celebrem, quod tumulo super
Antiqui Pelopis Vagus
Alcides statuit, cum Cteatum neci,
Crudelemque simul tradidit Eurytum
Vmbrosis nemorum frondibus abditus,
Obsessaque latens via.
Purgati Vt pretium grande palatij
Augeiam facili marte reposceret,

At-

Atque vtrique memor nuper in Elide
Consciſas ſocium manus.
Quin Rex ille dolis fretus, & abnegans
Promiſſa emeritis dona laboribus,
Conſpexit patria mœnia noxia
Belli merſa voragine.
Vebem vidit inops ignibus hoſticis
Tradi, & ferri acie funditùs erui.
,, Infirmos adeò duriter opprimit
,, Vrgens ira potentior.
Nec verò ipſe manum vindicis Herculis
Princeps conſiliis fugit inanibus,
Sed ſeruilia poſt vincula flebilem
Sparſit ſanguine regiam.
At Piſæ ſpolia, & caſtra ferocia
Victor conſtituens grandibus eſt locum
Dimenſus ſpatiis, qui ſacer, & Iouis
Cultu conſpicuus foret:
Sedes primò adytis & penetralibus
Pura eſt ſumpta Dei, cinctaque mœnibus,
Circùm planities addita, quæ choros
Et lætas caperet dapes.
Biſſenis ſuus eſt deinde Diis honor
Alphæoque datus, mons quoque claruit
Saturni celeber, qui caput antea
Ignotum niue texerat.
Cùm verò ſtadij ritus Olympici
Primùm exortus, ei prouidus affuit
Parcarum fauor: & cana ſimul dies
,, Falſum ſola redarguens:

Quæ.

Quæ progressa viris posterioribus,
Euulgauit vti cælitibus grauem
Prædam, & militiæ dona sacrauerit
Lustri conditor Hercules.
Sed nunc, Musa, mihi pande quis aut manu,
Aut planta volucri, aut mobilibus rotis
Pisæam tulerit primus adoream, &
Tristes fregerit æmulos.
Oeonus soboles clara Lycimnij
Et ditis Mideæ rex agili pede
Ventos præteriit, lucta Echemus valens
Ornauit Tegeæ solum:
Doryclus patriam cæstibus extulit,
Tiryntha altus equis quattuor insidens,
Auxit Mantineæ famam Alirothius,
Phrastor pennigero scopum
Percussit iaculo. discum Eniceus manu
Librauit reliquis omnibus altius
Nubes traiiciens, atque stupentium
Exciuit fremitus virum.
Tunc noctis tenebras æthereis plagis
Pleno dispulerat Cynthya lumine,
Reddebatque hominum multiplices sonos
Et laudes tremulum nemus,
Clarorum iuuenum facta remugiens.
At nos vt veteres egregium ob decus
Partum Agesidamo fulgur & ignei
Dicemus.

Dicemus strepitum poli
Ingentem, atque Iouis tela rubentia
Torqueri validis commoda brachiis :
Iungemusque hilari carmina fistulæ
Blandis tincta leporibus,
» *Quæ Dirce solito tardiùs edidit.*
» *Sed sint grata tibi hæc victor vti patri*
» *Dulcis progenies, quam mulier parit*
» *Annis coniugis vltimis,*
» *Illi insueta nouo pectora gaudio*
» *Demulcens, etenim flebile diuitem*
» *Exsternis dominis parta relinquere,*
» *Et natorum inopem mori.*
» *Si quis fortè etiam plurima conscius*
» *Pulchrè gesta sibi, seque alacri manu*
» *Nomen promeritum lenibus attamen*
» *Indictus Citharæ modis*
» *Ad manes tacitos tristi abeat via :*
» *Vexatus variis ille doloribus,*
» *Et fructu exiguo lætitiæ breuis*
» *Gustato miser occidit.*
Testudo sedenim & fistula iam tibi
Stillant, chare pugil, Pierium melos :
» *Nec quicquam peregrè longiùs euolat*
» *Rumore Aonidum vago.*
Quarum nunc studio iunctus, & inclytam
Amplexus cupido pectore gloriam
Locrorum, hunc populum suauibus imbui,
Mellitisque liquoribus.
Ac nostris numeris reddita notior

Laus

Laus Agesidami, quem prope Olympicas
Aras, validum vincere, & aspici
Pulchrum vidimus antea:
Cùm vitæ roseum ver ageret nitens
Insigni facie, cuius ope, & Deæ
Tutela Paphiæ viuit adhuc placens
Diuis Iliacus puer.

ODE PINDARI DECIMA,
Eidem Agesidamo, Vsura. quæ incipit,

Ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτε πλεῖστα χρῆσις, ἐστὶν δ' οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων. &c.

Eodem numero, quo illa Horatiana, Mollis inertia cùr tantam diffuderit imis Obliuionem sensibus.



Ector *nauis eget ventis, auraque secunda,*
Vernis colonus imbribus.
Si quem post duros hilaris fortuna labores
Respexit, & victoria:
Huic opus est hymnis laudes testantibus altas
Longis nepotum sæculis;
Et qui dent famæ vera argumenta futura,

Nec

Nec inuidorum noxiis
In praeceps manibus ruere aut procumbere possint,
Vt concidunt imagines
Sæpè virum, plebis cæco euertente tumultu.
Mansura nos hæc præmia
,, Emeritis damus: at fœlix sapientia vatum
,, Afflante cantat numine.
Numinis auxilio tollam te, victor, in auras
Crudis ferocem cæstibus:
Et caput vmbratum Pisæa fronde gerentem
Tecumque Locros concinam
Ad zephyrum versos. huc vos properate Camœnæ,
Choros & illic ducite.
Hospita gens certè est, factisque assueta decoris,
Et fortis, & prudens simul
,, Natura, quam non acris vulpecula mutat,
,, Nec vis Leonis exuit.

ODE

ODE PINDARI VNDECIMA, Ergoteli himeræo, longo cursu victoriam adepto.

Cuius initium est,

Λίασομαι παῖ ζηνὸς ἐλευθερίε, Ιμέρ
Ευρυσθενὲ ἀμφιπόλει.

Eodem numero, quo illa Horatij.
Sic te diua potens Cypri.

„ *ALTI progenies Iouis*
„ *Fortuna atque hominum te*
„ *Venerantium*
„ *Seruatrix, precor ardua*
Defendas Himeræ mœnia: nam
„ *Mari*
„ *Vectas pondera nauium,*
„ *Terra bella geris, sanaque prælia:*
„ *Per te Pax etiam viget*
„ *Armis depositis, atque suus redit*
„ *Spretis consiliis honor.*
„ *Tu nunc spes alacres tollis ad æthera,*
„ *Nunc in Tartara deiicis*
„ *Vota elusa virum, nec Deus anxiè*
„ *Rem magnam aggredientibus*
„ *Vnquam certa boni signa dat exitus.*
„ *Venturi abdita temporis*
„ *Sors & conditio est. Sæpè hominem dolor*
„ *Gaudentem nouus vlcerat.*

Iacta-

» Iactatus tumido sæpè vir æquore
» Mutat tristia prosperis :
» Et sese incolumen fluctibus eripit
» Momento, Ergoteles, breui.
Gallo tu quoque par, (quem domus alitem
Pugnacem videt vnica,)
Obscurusque ageres, & similis foret
Fluxis laus tua frondibus:
Ni te seditio feruida ciuium
Armare oppositas manus
Egisset patria præcipitem domo.
Nunc Cnosso procul exulans
Circundas olea tempora nobili :
Bis palma quoque Pythia
Auctus, bis spatiis victor in Isthmiis
Ornas diuite gloria
Grati fontis aquas, & tepidos lacus
Quos fœlix Himera accolit,
Natalis profugo iam tibi ciuitas.

ODE

ODE PINDARI DVODECIMA
Xenophonti Corinthio Curſu Pentathlo victoriam adepto:

Cuius initium eſt,

Τρισολυμπιονίκαν ἐπαινέων οἶκον,
ἅμερον ἀστοῖς.

Eodem numero, quo apud Horatium, Vides vt alta, &c.

Frondentem oliua iam triplici domum
Laudare quærens, nec minùs aduenis
Quam ciuibus dulces penates
Vnà opibuſque viriſque fœtam
Dicam Corinthum, fortis Achaiæ
„ Inſigne limen, Lex vbi & æquitas
„ Cum pace conſedere, quarum
„ Alma Themis genitrix ſororum.
„ Hæ ciuitatum mœnia fulciunt,
„ Dant temperata diuitias manu,
„ Faſtumque pellunt inſolentem
„ Copia quem peperit redundans.
„ Non iam Camœnis deeſt animus meis,
„ Nec facta deſunt inclyta. quis decus
„ Illuſtre, natiuumque celet
„ Immemori taciturnus ore?
O gens Aletæ priſca Corinthij,

Vos

Vos ſapè ſummo robore præditos
Certaminis, ſacraque pugnæ
Ferre nouam reuoluta luſtra
Videre palmam, veſtra ſagacitas
Procudit artes mille perutiles:
„ Primis repertorumque curis
„ Vita ſequens opus omne debet.
Num ſacra Bacchi protulit Orgia,
Et Dithyrambos gens alia? aut equos
Frænauit ardentes? vel intra
Templa aquilæ ſpeciem locauit?
Altum Corinthi Muſa colit iugum,
Mars acer illic corda ferocia
Pugnacis incendit iuuentæ,
Et gladios acuit coruſcos.
Sublimis ingens Rector Olympiæ
Pallens ab Iſthmo ſit Nemeſis procul,
Et noxa, victoriſque puppim
Vſque fauens Zephyrus ſequatur.
Tuque huius audi legitimum melos
Iuſtaſque laudes Iuppiter, & libens
Piſæ coronatum benignis
Luminibus Xenophonta cerne.
Hic incitatis nunc pedibus celer
Quinaque vicit gymnade, quod decus
Non antè Titan vidit almum
Axe diem fugiente portans.
Quin viuo eidem bis apio comas
Velauit Iſthmus, nec Nemeæ minor
Quæſita laus eſt, dum parentis
Vim ſequitur, rapidoſque motus.

Namque ille velox Thessalus ad tuas,
Alphae, ripas claruit igneo
Iam sæpè cursu, transijtque
Ante alios stadiumque simplex,
Duplexque Delphis sole sub vnico:
Nec non Athenæ rupibus asperæ
Huic tres eodem mense norunt
Impositas operum coronas.
Decursa iunge Enotia septies
Imbuta casta sanguine virginis:
Sed Thessalum patremque mulcet
Pteodorum magis illa palma
Quam terra binis æquoribus madens
Porrexit ollis, præcipuam & seno
Plectroque sublimi canendam:
Quid Nemeæ Herculei leonis,
Nutrix, vt ambos nubibus arduis
Inuexit, ò Dij, claraque Pythia,
Vt fortibus factis eorum
Attonitos tribuere plausus?
„ Forsan molesta est auribus inuidis
„ Ingens honorum turba frequentium:
Multi attamen restant, nec illos,
Nec Libycæ cumulos arenæ
„ Subducet vllus. Rebus in omnibus
„ Spectare tempus conuenit, & modum
„ Seruare. porro nunc beatis
Non Ephires alienus oris:
Dicam sagaces quot tulerit viros
Olim Corinthus, quosque ferocibus
Idoneos heroas armis,

Cre

Ore nihil memorante vanum.
Iam primùm acuti Sisyphus ingeni,
Parque efficaci consilio Diis
Hinc ortus, & Medea spreto
Phasiaco genitore, Craium
Secuta amantem duxit ab hac genus
Insigne terra, sedula remigum
Custos Achiuorum, ratisque
Insolitum per iter volantis.
Profecti & illinc armigeri duces
Troiæ sub altis culminibus sacra
Teucrumque, Graiorumque binis
Oppositi viguere castris.
Hi dum Lacænam Tyndarida Atrei
Nato reposcunt, hi thalamum Phrygis
Raptoris obnix tuentur
Ferro & opes Danaas refringunt.
Quos inter hostes terruit vnicè
Glaucus Pelasgos: hic etiam tumens
Narrabat extructos Corinthi
Bellerophontis aui penates,
Fulgere latè regnaque ditia.
At multa durus Bellerophon tulit
Dum Pegasum vincire tentat
Anguicoma genitum Medusa.
Pyrenæ aquosis marginibus vagus:
Olli priusquam tempora languido
Sopore presso visa Pallas
Porrigere auxiliare frænum:
Quod Diua monstrans, Aeolida, solo
Consurge, dixit, iam nimium diu

Destertis: eia tolle equinum,
Tolle manu vigilante philtrum.
Atque id parenti, qui regit æquora,
Acresque nutu flectit equos celer
Ostende: nec taurum ferire
Parce maris domino inquieti.
His ille dictis prosilit ocyus,
Stratumque sancta corripiens humo
Miraculum fabrile nota
Coiranide petit antra vatis.
Qui somniorum gnarus, & audiens
Noctis sub umbris Palladio virum
Dormisse templo, moxque Diuam
Munus ei tribuisse lætum:
Auri regentis Cornipedes feros,
Cædi imperatam protinus hostiam
Neptuno, & aram collocari
Belligeræ statuit Mineruæ.
„ *O quàm supremis Diis facilè ardua, &*
„ *Maiora votis omnibus exequi?*
Namque alitem constrinxit olim
Pegason imperiosus heros
Fauore Diuum, postquam eques aspero
Luctantis ori vincla tenacia
Iniecit, ex illoque sæpe
Vectus equo iuuenis volanti
Lusit per auras irradiantibus
Armis, & acri vicit Amazonas
Gelu rigentes, & Chimæram
Flammiuomam, & Solymos feroces.
Cantare fortis fata piget viri

Suprema : at olim Pegasus obsequens
Mortali habenæ, nunc Olympi
Pascitur æthereis in oris.
Sed cur relicto tela mihi scopo
Licenter errant auia? iam decet
Signum arduum metamque certis
Ictibus oppositam ferire.
Veni, vt minister Pieridum forem,
Ferremque in auras facta Oligetidum:
Ceu cui Isthmiæ frondes eorum,
Ceu Nemeæ placeant coronæ:
Quarum ecce versu concipiam breui
Examen ingens: bis tricies domus
Claræ nepotes hic & illic
Præco tuba cecinit frementi.
Nec raræ pugnæ præmia Olympicæ
Iam dicta nobis si qua volubilis
Adiunget ætas, illa posthac
» *Exequar. Est etenim futuri*
» *Spes cæca. & alto pendet ab æthere*
» *Euentus anceps: quodque Oligætidis*
» *Sors addet, acceptum feremus*
» *Omne Ioui, Geticoque Marti.*
Verùm hanc virorum progeniem, quibus
Parnassus olim laudibus extulit
Argique, Cadmææque Thebæ,
Et Iouis ara potens Lycæi.
Quantæ est eorum conscia gloriæ
Pellana Eleusis, & Megara, & domus
Prisca Aeaci pulsata fluctu
Assiduo, Sichyonque densis

Vestita oliuis, & Marathon nitens,
Sicanæ & vrbes diuitiis graues.
Quòd si inclytas scrutere circùm
Graiugenum peregrinus oras:
Vix est vt vnquam luminibus vagis
Lustrare possit singula Martiæ
Trophæa gentis, sed mihi iam
Passibus hinc leuibus migrandum.
Tu Rex Deorum Iuppiter effice
Vt vsque nostris adsit honos grauis
Concentibus, nostroque semper
Roscida mella cadant ab ore.

ODE

ODE PINDARI XIII. ASOPICO Orchomenio filio Cleiodami, ſtadíj curſori Eodem numero quo apud Horatium.

Mecœnas atauis edite Regibus.



EPHISI vitreum flumen amabiles
Sortitæ Charites, quas genitrix equum
Pulchrorum Orchomenos ſuſpicit, & colunt
Audaci Minyæ remigio inclyti:
Noſtrum hoc lene melos percipite auribus
„ *Puris diuæ hilares. Si quid enim placet,*
„ *Si quid dulce hominum ſenſibus affluit,*
„ *Si quiſquam aut ſapiens, aut facie nitens*
„ *Inſigni, aut meritis clarus honoribus,*
„ *Debentur lepidis omnia Gratiis.*
Non abſque his Superi ſidera deſerunt,
Interſuntque choris, & dapibus ſacris:
Quin ſummo vnanimes æthere virgines
Solæ cuncta regunt, atque ſedilibus
Circùm diſpoſitis, vndeque Apollinem
Cingentes medium patris Olympici
Aeternum numeris concelebrant decus.
Formoſa Aglaia, ac Euphroſyne decens,
Et tu læta nouis Thalia cantibus,
Spectate hunc placidis luminibus chorum

Qui vocem atque pedem commouet alite
Felici : huc & ouans venit Asopicum
Dicturus celerem carmine Lydio :
Cum quo Vrbs alta Deæ, quæ Minyas alit
Per vos nunc media fulsit Olympia
Victrix : sed modo tu fama sonantibus
Alis Elysium labere sub nemus :
Atque illic memora Cleiodamo patri
Victoris pueri, natus vti tener
Flaui cæsariem vertitis auream
Ramo Palladiæ cinxerit arboris,
Ventis vere nouo flantibus ocyor.

Olympiorum Pindari

FINIS.

ARGVMENTA ODARVM QVAE Sunt

IN OLYMPIIS PINDARI.

I.

HAEC prima Pindari Ode nullam in se obscuritatem continet: nota est enim omnibus & peruulgata fabula Tantalidæ Pelopis, cuius in hoc carmine præter alia, hanc etiam ob causam meminit Pindarus, quòd Pelops primus in Elide Oenomaum regem certamine equestri vicerit, etiam ante Olympicum certamen ab Hercule institutum.

II.

Laudatur hic Theron Siculus princeps, vnus ex posteris Cadmi vetustissimi Regis, atque is Theron cùm aliquandiu bellum in Sicilia aduersus regem Hieronem gessisset, victus primùm ab eo est, & Agrigentinorum dominatione spoliatus. Postea verò pace facta rebusque compositis, pristinum dignitatis gradum recuperauit: quam ob rerum varietatem, fortunæ magnam vim esse in vtramque partem Pindarus hoc carmine testatur.

III.

Quoniam victores olim in ludis olympicis oliuæ frondem coronabantur, ideo Pindarus explicat hoc carmine quo tempore, quo ex loco, quámque ob causam Hercules primus in Græciam oliuam attulerit.

IIII.

Erginus, cuius in hoc loco Pindarus meminit, Argonautarum vnus, & socius Iasonis in Colchica expeditione fuit: qui quamuis ætate integra esset, & pernicitate pedum valeret, attamen ob acceleratam canitiem, initiò ab Hypsipyle regina, aliisque Lemni mulieribus, derisus est; sed cùm postea socios omnes cursus celeritate vicisset, nihil canitiem obesse viribus & virtuti ostendit. Nonnulli autem Psaumida præcanum fuisse, sicuti & Erginum, suspicantur.

Argumentum Quintæ positum est suo loco.

VI.

Hoc carmine Pindarus Diagoram Rhodium, Rhodumque Insulam laudibus extollit, quam ab initio Indigenæ siue Aborigines filij Solis incoluerunt, postea veró in illam Thepolemus Argiuorum dux patria relicta exulatum.

latum abiit, vt sic cædis inuoluntariæ à se commissæ, Græcorum more pœnas lueret: sed cùm is ob egregiam virtutem in ea Insula tandem aliquando principatum obtinuisset, mortuus etiam templa, & sacrificia, ludorumque solemnium honorem adeptus est. inter posteros autem Tlepolemus & Diagoram pugilem habuit; qui quidem vsitatum staturæ humanæ modum excedens, ceteros sui temporis homines cæstibus & pugilatu superasse traditur. hæc verò Ode à Græcis adeò probata est, vt in templo Mineruæ olim litteris aureis inscribi meruerit.

VII.

Tres vno carmine Pindarus victores comprehendit, Timosthenem scilicet, Milesiam aliptem siue ludimagistrum, & Alcimedontē puerum luctatorem: sed illum vltimum præcipua laude prosequitur ex Insula Aegina natum, cuius Insulæ encomium Pindarus, vt solet, cum victoris laude coniungit, eamque Iustitia, fide, & humanitate ceteris Græciæ vrbibus præstare ait. In Aeaco autem antiquissimo terræ illius Principe collaudando multus est, quem etiam Neptuno & Apollini Troiam ædificantibus operam nauasse commemorat.

Argumentum Octauæ habetur suo loco.

I X & X.

Hos versus scripsit Pindarus in honorem Agesidami, longo post victoriam interuallo, quam ob causam toto penè carmine tarditatem suam in munere præstando excusat: quinetiam legitimo & longiori iam operi perfecto, aliud breuius adiicit, cui fœnoris nomen ipse imponit. vt hac quasi versuum vsura victori satisfecisse videatur: sed prior Ode potissimùm Institutionem certaminis olympici continet, atque eorum laudem qui olim primi omnium in Olympia vrbe victoriam adepti sunt.

X I.

Hæc ode in laudem Ergotelis Imeræi scripta est, qui cùm ob seditiones domesticas è Creta Insula in Siciliam migrasset, exilium illi victoriæ & laudis occasionem præbuit, ideoque Pindarus initio huius carminis fortunæ vim potestatemque in rebus humanis celebrat.

XII.

Xenophon Corinthius, & Corinthus ipſa laudantur his verſibus: quinetiam ingenia, virtutes & victores poëta commemorat antiquorum huius ciuitatis hominum: inter quos facilè principem locum Bellerophon eques obtinuit, in cuius facta & laudes Pindarus longiùs paulò & liberiùs excurrit.

XIII.

Scripta eſt hæc Ode in laudem Aſopici Orchomenij pueri. In vrbe autem Orchomeno dedicatum erat & conſecratum fanum Gratiis, quibus hoc carmine Pindarus rerum omnium venuſtatem & pulchritudinem aſcribit, caſque miris laudibus afficit, Gratiarum laudem formoſi pueri encomio conuenire exiſtimans.

EPI-

EPHITHAPHIVM CAROLI IX. Francorum Regis Christianiss. Eodem Sudorio Auctore.

IN *lucem duplici fato bellator Achilles*
Venit, & ad Troiam pergenti magna laborum
Glori a promissa est, aui sors longa negata.
Quod si occulta virum tellus aluisset inertem.
Cana sed ignoto fuerat ventura senectus:
Prætulit ille tamen laudem socordibus annis.
Tu quoque Achillæis non dispar viribus ingens
CAROLE, *dum sedes bello defendis auitas*
Consilioq; artes, & vim virtute repellis,
Occidis, heu, lachrymisque imples & questibus orbem,
Ante diē raptus. Te Gallus tristis, Iberq;
Sarmataq; Arctois fraternus luget in oris.
Te populi Ausoniæ plorant, Tiberisque recenti
Morte tua voluit mœrentes turbidus vndas.
Ipse Parēs orbis Romana in sede locatus
Luminibus largū fūdit cælestibus imbrē.
Ac veluti Aeacidē defleuit cærula mater,
Sic etiā imprimis genitrix te Diua sepultū
Cōqueritur, nyphas inter prostrata dolētes,
Crudelē adtumulū, quo nunc vis illa decori
Corporis, & prudens fandi solertia, & acris
Ingenij vigor, & pietas immota teguntur.

AD NICOLAVM SVAERVM
Suum collegam G. Valens Guellius. PP.

HAEC *etiam, Musa, nos gloria sera manebat,*
Vt modulo Ausonio, nec sic sibi Pindarus impar
Surgeret, antiquis volucer nec degener alis.
Tantum ausus Themidis mystes Phœbique Suærus,
Romano exhibuit fantem sermone poetam,
Et Græcam Aonio deduxit vertice musam
In Latiũ, vnde sonat Thebani gratia plectri
Clamosi rixosa fori vadimonia supra,
Clangoresque tubæ, ciuilibus enata vndis
Vda chelys refluui superato murmure ponti,
Et Methymnei vatis fortuna reuertit.
Hos vt in Elysio nũeros Venusinus amœno
Hausit olor, stetit attonitus, nec nouimus, vtrùm
Laudet an inuideat: sed lauru & baccare frontem
Cingo, Suære, *tuam, tibi diuum interpres, & ipse*
Communem Phœbus cithara decernit honorem:
Macte tui partu, veneranda Lutetia, vatis,
Et tibi, (ni imperium terræ fatale teneres)
Parceret, vt Thebis, victor rediuiuus vterq;
Pindarici studio genij Macedonque Laconq;.

AD PINDARVM DE OLYMPICIS
A Sudorio Latine expressis.

Hactenus attigerat tua, Pindare, carmina nemo,
Dicte Venusina non imitande lyra.
Sed nunc Ausoniis tanta est fiducia musis,
Ausit vt hac Lyricen tangere plectra nouus.
Pindarici qui non Sudorius *horruit haustus*
Fontis, & Icarij vana pericla maris.
Ceratis neque enim fidit temerarius alis,
Sed firmis, Calabrum qualibus acer olor,
Vt Flaci Alcæo celebrantur nomina verso,
Sic laus Sudori, *Pindare, versus eris.*
Carmine victores tu supra sidera tollis:
Hic quoque victorem tollit ad astra suũ.
Cantat Aethlophoros vates Thebanus honores,
Christophorus *suus huic fama* Thuanus *erit.*
Nam quantum Pherenicus equos pede vicerat omnes,
Tanta Senatorum est gloria Christophorus.

IO. AVRATVS
Poëta Regius.

PYTHIA PINDARI
LATINO CARMINE
REDDITA,
PER

NICOLAVM SVDORIVM in ſuprema Parlamenti Curia Præſidem Inquiſitionum.

Ad Ampliſſimum Virum

CHRISTOPHORVM TVANVM,

In intimo Conſiglio Regis Conſiliarium, & Pariſienſis Curiæ primum Præſidem, Præfatio Nicolai Sudorij in Pythia Pindari è Græco ſermone in Latinum conuerſa.



VM antiquis illis & heroïcis temporibus (Vir ampliſſime) humanum genus nullis adhuc libidinum & voluptatum prauis oblectationibus deditum eſſet, ſed frugaliter, ſobriè, & naturæ conuenienter viueret, pauci admodum, vt Plato ſcribit, in ciuitatibus medici erant: atque ij corporum

porum morbos simplici quadam & aperta & minimè subtili ratione curabant, ante medicum Herodicum, qui cùm corpore imbecillo, ingenio autem valido esset, anxiam illam, nimisque accuratam, quæ nunc frequentatur, medendi viam primus reperisse, ac sibi cæterisque valetudinariis hominibus, non morborum curationem, sed languidam mortem excogitasse dicitur. Sicuti autem statim initio ab hominibus ingenio præstantibus facilis illa & minimè curiosa corporum medicina inuenta est, quam doctissimus vir Hippocrates ἀρχαίην ἰητρικὴν appellat, sic etiam ęgritudinum animi multa olim ab excellentibus viris remedia quæsita & comparata sunt. Quæ omnia antiquitas vno Philosophiæ nomine comprehendit. Atque hęc ipsa philosophia à poëtis omnium primis exculta & tractata est. Quos Cicero doctorum & eruditorum hominum antiquissimos vocat. Etenim cùm nondum ingenia humana sceleribus extremis flagitiisque fœdata & inquinata essent, sed maxima adhuc mortalium pars ad id quod rectum & honestum est natura duce contenderet, Poëtarum suauis & numerosa & illustribus exemplis referta oratio satis adhuc poterat ad animos dociles & rationi obsequentes vitiorū prauitatibus expurgandos, ac veræ virtutis & gloriæ singulari quodam studio & desiderio inflãmandos. Sed postquam, vt inquit longè optimus Poeta,

Tel-

Tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primaeui funera nati,
Liber vt innuptae potiretur flore nouercae:
Omnia fanda nefanda malo permista furore.

Tunc profectò inter populos vero numinis cultu carentes, nec Homeri, nec Hesiodi, nec cæterorum huiusmodi poëtarũ scripta satis pro iustitia, modestia temperantia, fortitudine, contra iniustitiam, audaciam, libidinem, & cætera vitiorum portenta valuere: sed illa aduersus prauitatem & vitiositatem omnem certandi ratio excogitata est longè subtilior & acutior, quam à Socrate proditam Plato & Aristoteles, ceterique philosophi studiose excoluerunt, & crebris disputationibus suis librisque illustrarunt. Ac si verum amamus, id sanè fateamur necesse est Poëticam artem à Philosophia non instituto, sed tempore & ortu, non rebus, sed numeris & modis seiunctam & separatam esse. Quod cùm ex vatibus aliis, cum præcipuè ex Homero poetarum omnium principe & parente cognoscere facillimum est, qui nec nobis Agamemnonis grauitatem, neque Achillis præcipitem iracundiam, neque Vlyssis.

porum morbos ſimplici quadam & aperta & minimè ſubtili ratione curabant, ante medicum Herodicum, qui cùm corpore imbecillo, ingenio autem valido eſſet, anxiam illam, nimiſque accuratam, quæ nunc frequentatur, medendi viam primus reperiſſe, ac ſibi cæteriſque valetudinariis hominibus, non morborum curationem, ſed languidam mortem excogitaſſe dicitur. Sicuti autem ſtatim initio ab hominibus ingenio præſtantibus facilis illa & minimè curioſa corporum medicina inuenta eſt, quam doctiſſimus vir Hippocrates *ἀρχαίην ἰητρικὴν* appellat, ſic etiam ęgritudinum animi multa olim ab excellentibus viris remedia quæſita & comparata ſunt. Quæ omnia antiquitas vno Philoſophiæ nomine comprehendit. Atque hęc ipſa philoſophia à poëtis omnium primis exculta & tractata eſt. Quos Cicero doctorum & eruditorum hominum antiquiſſimos vocat. Et enim cùm nondum ingenia humana ſceleribus extremis flagitiiſque fœdata & inquinata eſſent, ſed maxima adhuc mortalium pars ad id quod rectum & honeſtum eſt natura duce contenderet, Poëtarum ſuauis & numeroſa & illuſtribus exemplis referta oratio ſatis adhuc poterat ad animos dociles & rationi obſequentes vitiorũ prauitatibus expurgandos, ac veræ virtutis & gloriæ ſingulari quodam ſtudio & deſiderio inflãmandos. Sed poſtquam, vt inquit longè optimus Poeta,

Tel-

Tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primaui funera nati,
Liber vt inupta potiretur flore nouerca:
Omnia fanda nefanda malo permista furore.

Tunc profectò inter populos vero numinis cultu carentes, nec Homeri, nec Hesiodi, nec cæterorum huiusmodi poëtarũ scripta satis pro iustitia, modestia temperantia, fortitudine, contra iniustitiam, audaciam, libidinem, & cætera vitiorum portenta valuere: sed illa aduersus prauitatem & vitiositatem omnem certandi ratio excogitata est longè subtilior & acutior, quam à Socrate proditam Plato & Aristoteles, ceterique philosophi studiose excoluerunt, & crebris disputationibus suis librisque illustrarunt. Ac si verum amamus, id sanè fateamur necesse est Poëticam artem à Philosophia non instituto, sed tempore & ortu, non rebus, sed numeris & modis seiunctam & separatam esse. Quod cùm ex vatibus aliis, cum præcipuè ex Homero poetarum omnium principe & parente cognoscere facillimum est, qui nec nobis Agamemnonis grauitatem, neque Achillis præcipitem iracundiam, neque Vlys-

ſis prudentiam, neque Therſitæ temeritatem, neque Hectoris robur, neq; Paridis mollitiem, neque Neſtoris ſapientiam, neque Aiacis & Diomedis magnanimitatem per totum poëma ſuum ob oculos poſuiſſet, neque facta præclara miris in cœlum laudibus extuliſſet, neque flagitia in bello aliiſq; in locis admiſſa toties vituperaſſet, niſi muſico illo & modulato genere ſcribendi id ipsũ quod philoſophi poſtea conati ſunt, iam tum aſſequi ſtuduiſſet: vt ſcilicet homines vitiorum quaſi deformitatem exoſi vniuerſæ honeſtatis pulchritudinem cupidè inſpectantes adamarent. Iam verò quis non apud eundem authorem & Iouem regnis,& Palladem Martemque bellis, & Mulciberum opificiis, & Aeolum ventis,& Neptunum mari præfectos intelligit, vt Poëta diuinus ſingulas mundi partes orbémque vniuerſum diuerſis vnius prouidentiæ ſummæ conſiliis & poteſtatibus adminiſtrari oſtenderet? Longum eſſet, ſi recenſere vellem vt ſemper apud Homerum diſſimilia vitæ morúmque inſtituta diſſimiles quoque exitus & præmia pœnęue conſequantur. Quis non Odyſſeam legẽs Polyphemum impium malè mulctari, Vlyſſem verò deorum auxilio fretum tandem aliquando coniugi & liberis incolumen reſtitui lætatur? Quis non Phæacas iuſtitiæ & hoſpitij cultores, regique ſuo morigeros & obſequentes diuitiis boniſque omnibus cumulari: Ithacenſes verò

rò

rò proceres coniugio Principis regnoque insidiantes, tandem ab ipso confici & trucidari tacitus apud se gaudet & approbat? Post illum autem omnis poëticæ facultatis & elegantioris doctrinæ authorem antiquissimum, facilè doctorum omnium iudicio secundum Pindarus locum obtinuit, qui cùm in ea tempora incidisset, quibus in Græcia egregia paucorum hominum virtus aduersus infinitam Persarum multitudinem enituisse dicitur, immensam illam & infinitam eloquentiam suam totam in magnorum & excellentium virorum perpetua commendatione ac laude consumpsit. Quòd si singularum eius odarum materiam & argumenta diligenter excutias, hanc de optimo reipublicæ statu, illam de temperantia & continentia, aliam de dolore fortiter tolerando conscriptam inuenies: cæterisque omnibus nihil ferè nisi graue & serium & iuuentutis moribus conformandis valde necessarum contineri. Hic denique vnus poëta est inter omnes, ex quo quid honestum, quid turpe, quid vtile, quid inutile, quid fugiendum, quid optabile sit, non minus quàm ex Chrysippi aut Crantoris scriptis percipi possit. Atque hæc quæ diximus in rebus ipsis elucent, in verbis autem & numeris Pindari tantus est splẽdor, tanta grauitas, tanta sublimitas, & grandiloquentia, vt eum non immeritò Horatius violẽtissimi tor-

rentis more incitatum ruere, omniaque sibi obuia rapere secum & auferre dixerit. Non prætereunda est hoc loco Aristotelis verissima sententia, qui in libro de arte poëtica scribit, excellentis poëtæ summum artificiũ esse, τά πράγματα τίθεσθαι πρό ὀμμάτων, hoc est, omnia ita luculentè describere, vt quæ narrantur non recitari, sed potius fieri eorum gerique videantur. Huius tam egregij operis sibi gloriam & palmam suo quodam iure Thebanus vates vindicat: argumento est locus ille primæ Pythiorum Odæ, in quo montis Aetnæ, illa ætate insignis, fumi atque ignes certis temporum vicibus distincti, non tam commemorantur, quàm quasi in tabula effícti pictique proponuntur: quod poëtæ græci inuentum cùm in tertium Aeneidos Virgilius transferre voluisset, quẽadmodum ostendit Macrobius, verborum quidem sonitum & strepitum expressit, sed res ipsas rerúmque ordinem, quod tanti viri pace dixerim, perturbauit atque confudit. Quod verò in vno tantummodo ingeniosissimi poëtæ carmine ostendimus, id per alios omnes hymnos æqualiter sparsum & diffusũ reperietur. Quæ omnia cùm apud me sæpissimè reputarem & considerarem, operæpretium me facturum existimaui si poëma longè pulcherrimũ ex obscurissimis antiquitatis tenebris eruerem, & adhibita paulo liberiori ac fusiori difficiliũ locorum interpreta-
tione

tione in lucem solémque proferem. Nec verò defuturos arbitror qui me (quoniam in literis ætatem agere decreui) ad studia quædam poëticis fabulis seueriora reuocent, nostrámque operam & industriam, si qua est, meliùs multo in iure ciuili illustrando, quàm in poëta dithyrambico imitando collocari potuisse existiment. Verum enimuero vt personæ quam sustinemus nonnulla aliæ magis conuenire & congruere fatemur, & ne illa ipsa aliquando attingere liceat, minimè nobis interdictum putamus: sic Pindaricam poësim tot rerum grauium & magnarum cognitione abundantem, ad vitæ communis vsũ spectare in primis & pertinere arbitramur. Ac si Socrates, vt est in Phædone Platonis, aliquando per insomnium admonitus, τὴν μουσικὴν καὶ ποιήματα ποιεῖν, ὡς φιλοσοφίας μεγίστης οὔσης τῆς μουσικῆς, Dei præcepto iussísque paruit: & quemadmodum ipse ait, Aesopi fabulas, quas tum in manibus habebat, versibus complexus est, quòd eas ad vitæ morúmque emendationem perutiles esse existimaret: mihi, vt opinor, minimè vitio verti debet quod debito ab omnibus philologis munere defungi statuerim in eo potissimum vate exprimendo, cuius poësis tot verborum sententiarúmque luminibus distincta & ornata est, tanta rerum illustriũ multitudine locupletata, vt in ea cum grauitate suauitas, cum voluptate & delectatione

ne vtilitas certare & contendere videatur. Scio equidem, & ingenuè præ me fero, non me ſingula curiosè authoris verba quaſi appenſa & adnumerata reddidiſſe. Sed culpam hac in re ſi qua noſtra eſt, hi facilè excuſabunt qui vtriuſque linguæ proprietatem, conditionem, & quaſi genium nouere. Tanta enim illarum inter ſe diuerſitas & differentia eſt vt qui ſingulas Græci ſcriptoris voces interpretari velit, ineptiſſimè in Latino ſermone Græcè loqui cogatur: & dum ſyllabis adhæret & affixus eſt, à ſententia ſenſuque authoris longiſſimè aberret. Atque vtinam (Vir Ampliſſime) cæteros omnes tam æquos laboris noſtri iudices & æſtimatores habeamus, quàm teipſum futurum confidimus, cuius is eſt candor eáque eruditio & virtute quæſita authoritas, vt Pindarus Thebanus gratiorem ſe omnibus & acceptiorem quàm antea fore crediderit, ſi more Græcorum te ſibi in Gallia προςάτην, & patronum peregrinus incola delegiſſet.

ARGVMENTVM OPERIS.

Immenſus labor, & virtus, & gloria victrix,
Hæc tria ſunt Muſæ ſylua ſegeſque meæ.

PYTHIA PINDARI LATINO CARMINE REDDITA,

PER

NICOLAVM SVDORIVM,
in suprema Parlamenti Curia Præsidem inquisitionum.


ODE PRIMA HIERONI

AETNAEO, SYRACVSANO REGI,
curru victoriam adepto.

Quæ incipit,

Χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλω.

Eodem numero, quo apud Horatium,
Vides vt alta stet niue
candidum.



LAVI supellex aurea Cynthij,
Grata & sororum dos Aganippidum
Testudo dulcis, quæ choræis
Imperitas agilis iuuentæ.

Cui

Cui cantus & vox paret, vbi sonum
Percussa primùm mittis in aera:
Tu fulgur extinguis coruscum,
Tu rapidum Iouis vna fulmen
Iramque placas : quin aquila alitum
Regina per te molliter accubans
Sceptro tonantis in soporem
Labitur, & patulas vtrinque
Extendit alas, hanc superi vident
Cùm nigra nubes lumina condidit
Languenti , & irrepsit per artus
Blanda quies saliente pulsu ,
Dorsum erigentem leniter , ac tuis
Iacere victam vocibus : horrifer
Mars ipse te latum sonante
Depositis recreatur armis
,, Mulcent beatos carmina cælites
,, Phœbo atque musis plectra mouentibus :
,, Atquos deum regnator odit
,, Iuppiter , hi numeros tremiscunt ,
,, Terris & vndis omnibus anxij.
Talis Typhœus incola centiceps
Lugentis Orci , qui profanus
Creuit atris Cilicum sub antris .
Nunc verò cuma huic oraque Trinacris
Villosa setis pectora contegit ,
Ac fulciens cælum niuosis
Aetna iugis , cohibet frementem
Giganta, & illinc mons Siculus cauis
Eructat ignem rupibus , ac nigro

Interdiu exundante fumo
Solem operit glomerata nubes.
Noctu perurit saxa rubentia
Incensa fornax, & scopulos rotat
Vulcanus, ardentesque in æquor
Proiicit horribili fragore.
Sic ergo flammæ sulfureos globos
Altè reiectat numinis impius
Hostis, videnti triste monstrum,
Atque grauis tremor audienti.
Cùm mens reuoluit qualiter obrutum
Typhœa terra vincla coerceant,
Terga vt supini strata tellus
Muricibus lacerent cruentis.
Possim supremo, possim vtinam Ioui
Placere semper, quem iuuat arduus
Mons Aetna, frons agri feracis,
Sicaniæque caput beatæ.
Cognomen Aetnæ sumpsit & oppidum
Quod bellicosus rex Hieron recens
Fundauit, extructoque lauri
Imposuit viridem coronam:
Postquam incitatis Pythia curribus
Deuicit, atque id clarisonis canens
Clangoribus præco repleuit
Altifremi cuneos theatri.
,, Hæc prima nautis prosperitas mare
,, Vastosque fluctus ingredientibus,
,, Cum protinus fune exoluto
,, Blanda ratem comitatur aura.
,, Cursus secunda nam semel alite

Cœptus

„ Cæptus per vndas, remigibus vagis
„ Sedes ad extremum quietas
„ Spondet, aquis procul & periclis.
Sic Aetna primis condita mœnibus,
Palmaque compos facta simul noua,
Se se indicat posthac futuram
Innumeris hilarem coronis,
Claramque cursu cornipedum leui,
Sumptuque mensarum vbere nobilem.
Hoc omen o Thymbrae firma,
Qui Lyciam regis atque Delon,
Longasque lympha Castalia comas
Mersare gaudes, sit Regio hac solo
Fœcunda per te, plurimosque
Læta sinu foueat colonos.
„ Tibi ac benignis numinibus bona
„ Debemus omnes omnia, seu manu
„ Victrice seu lingua valemus
„ Flexanima, atherea ve mente.
At nunc parentem nobilis oppidi
Voce atque dulci concelebrans lyra,
Non vana nec vibrata frustra
Tela leues iaciam per auras,
Rudisue signatum egrediar scopum:
Sed forti in altum spicula brachio
Mittam, & volantes æmulorum
Dexteritas mea vincet ictus.
Sic vsque in aula diuite floreat
Seruetque partas rex Hieron opes,
Sic calculi sæuos dolores
Frangat ei minuatque tempus.

,, Tempus diesque longa hominum memor
,, Rerumque testis fida perenium,
,, Loquetur vt pugnarit olim ;
Inque acie steterit cruenta
Infractus acer, vir Siculus graui
Vexante morbo belligerum latus
Cùm regna quæsiuit Gelonis
Martigena auxiliante dextra.
Græco obtigerunt qualia nemini
Nec cuiquam honorum par columen datum .
Quin nuper vt Pæante natus
Aeger adhuc sua castra obiuit ,
Gnauaque lecticæ impositus feros
Prostrauit hostes ,iamque animo tumens
Quidam conctis hunc adorat
Obsequiis humilique vultu .
Herois ægri scilicet æmulum.
Quem saxa propter Lemnia saucio
Crure eiulantem missa Graium
Lecta manus iuuenum euocauit
Ad bella rursus, quod pharetram Herculis
Arcumque ferret vulnifica manu ,
Queis fretus a'bentes superbam
Ilion in cineres redegit :
Et fine Achiuum prælia nobili
Conclusit artus debilis , & gradu
Tremens , sed inuictus potentis
Lege rata serieque fati.
Vti hunc , Sicanæ sic dominum plagæ?
Sanare possit adueniens dies,

Et

Et quicquid ardens concupiſcit
Sydus ei tribuat benignum.
Sed non camœna ſufficit auribus
Cani dediſſe hæc principis, illius
Ni fortis hæres incitatæ
Audit adhuc ſonitum quadrigæ,
,, *Clari parentis palma domeſtica*
,, *Dulciſque natis. ergo fides moue,*
Rectori & Aetnæ iuniori
Finge nouos numeros Thaleia,
Ciues regendos huic genitor dedit
Laxis habenis, nec ſine libero
Virtutis vſu regulaquè
Doride ſtruxit opus decorum,
Lycurgi alumnos mœnibus ambiens:
,, *Porro hoc tyrannorum impatiens genus,*
,, *Atque immori pugnant Lacanis*
,, *Legibus Aegymique norma,*
,, *Quicunque celſo Taygeti iugo*
,, *Miſſi aut Amyclis fortibus Herculem*
,, *Iactant parentem, ac gloriantes*
,, *Tyndaridas & equis & armis.*
Rex ſumme diuum, iuxta Ameni vada
Sonantis illud regibus inclytis,
Gentique dones vt remiſſa hæc
Imperij maneat cathena.
Ni fallor augur, per te Hieron ſimul
Mulcens fauentes muneribus tribus,
Natumque præceptis, quieta
Diſſidium procul vrbe pellet.

Hac prater oro Iuppiter, vt manus
Phœnissa Tuscum & barbaricus furor
Formidet hostilem fugata
Classe semel renouare motum.
Infecta norunt aquora sanguine,
Qua sub Sicano pertulerit duce
Tyrrhenus audax, & feroces
Sidonij mala quanta passi:
Norunt iuuenta robora vt Itala
Deiecta ab altis puppibus in mare
Immerserit, Graiisque dura
Depulerit iuga seruitutis
Aetneus heros: cùm mihi Cecropis
Visuntur arces, tunc Salamis subit,
Sparta virorum strage opertas
Cernere adhuc videor plateas.
At ripa cùm me vasti Imera tenet,
Hymnum beati Deinomenis iuuat
Cantare natis, quem subacto
Trinacrij meruere Pœno.
» Qui multa paucis stringere commodè
» Nouere, morsus hi facilè inuidos
» Spernunt, & auris mensque pura
» Omne superuacuum reiectat.
» Spectantum adurit saucia pectora.
» Aegrosque sensus alterius decus:
» Pulchra attamen molire, liuor
» Luctificis melior querelis.
» Rerum gubernaculum assiduè manu
Conuerte iusta, lingua Hieron tibi

In-


,, *Incude conformata vera,*
,, *vsque sonum referat fidelem.*
,, *Errata semper maxima principum*
,, *Quæ parua credas, innumera potens.*
,, *Das iura plebi, quam nec acta*
,, *Impia nec benefacta fallunt.*
,, *Ceruice quòd si perpetuò arduâ*
,, *Sublimis optas dulcibus imbui*
,, *Famæ susurris, ne beato*
,, *Parce bonos cumulare censu.*
,, *Vt nauta velum flatibus explicat,*
,, *Sic tu sonoris præmia versibus*
,, *Propone, nec fucata lucri*
,, *Te species & imago tardet.*
,, *Cerne vt superstes gloria fortium*
,, *Duret virorum, musaque mortuos*
,, *Decantet illos, & pedestres*
,, *Historiæ decorent nepotum.*
,, *Crœsi benigni floret adhuc recens*
,, *Virtus: at æneum Phalaridis bouem,*
,, *Ignesque sæuos damnat ætas*
,, *Ciuibus illachrymans perustis.*
,, *Nec cùm puellarum & iuuenum chori*
,, *Ludunt sub altis ædibus, artifex*
,, *Tibicen accitus ferocem*
,, *Consociat numeris tyrannum.*
,, *Sors prima vitæ vincere, & altera*
,, *Hymnis merentem grandiloquis cani:*
,, *Vtrumque nactus tempora ingens*
,, *Syderea religat corona.*

ODE PINDARI SECVNDA,
Regi Hieroni, Curru victoriam adepto:

Quæ incipit,

Μεγαλοπόλιες ὦ συράκουσαι.

Eodem numero quo apud Horatium, Iam satis terris niuis atque diræ.



VATVOR secta Syracusæ in vrbes
Feruido sedes adamata Marti,
Ferro vbi splēdente furor virorū
Gaudet equumque.
Carmen hoc Cadmi nitidis ab oris
Affero vobis, meritasque laudes
Aurei curus quatientis imam
Turbine terram:
Quo vir insistens Siculus micanti
Cinxit illustrem Ortygiam corona,
Insulam vndosæ sacra sustinentem
Templa Dianæ.
Non sine hac nuper manibus decoris
Fulgidas tractans Hieron habenas,
Compares frænauit equas volantes
Puluere graio.
Nam citas postquam insiliit quadrigas,
Ille flagrantis moderator Aetnæ,
Et iugo insedit placidum precatus
Numen aquarum:

Pro-

Protinus Maia satus, Artemisque,
Regis afflarunt capiti decorem
Lucidum, huic ambo niuea prementes
Tempora dextra..
Cæteris vates alij tyrannis
Grande virtutum precium sonantes
Concinunt hymnos, tibi nostra victor
Soluimus ora..
Ciuium lingua modulante fertur
Cypriam clarus Cynirás per vrbem,
Quem sacerdotem Venus atque dulcem
Legit alumnum,
Phœbus aurato radians capillo
„ *Fouit imprimis, meritis & illi*
„ *Parta laus, quorum sequitur laborem*
„ *Debita merces.*
At domo egressæ thalamisque flauæ
Locrides, victor, tua facta cantant,
Liberis per te nitidum videntes
Lumen ocellis.
Namque ab illarum pauidis fugasti
Mœnibus longè Cleofronta dirum:
Vnde solennes vbi lux reduxit
Alma choreas,
Sæpe saltantes iterant, vt orbi
Feruido Ixion miser alligatus,
Se sequens & se fugiens per vmbras
Talia clamet:
„ *Discite acceptis similem referre*
„ *Gratiam, ò manes, superaque gentes.*
Sed quis hoc tristi dubitet monentis

Credere fato?
Ille ſublatus tenues in auras
Et diu dulci recreatus æuo
Cælitum, magna tulit inſolenter
Munera ſortis.
Namque Iunonis facie decora,
Arſit inceſtus, licet illa ſoli
Aetheris Regi ſocios in æuum
Seruet amores.
Ergo ei peſtem furor & cupido
Attulit cæcus, meritumque pœna
Torquet inſignis ſtygios & inter
Mira labores.
" *Primus Vltrices fugit error iras,*
" *Aſperat diuos iterata culpa.*
Durus Ixion ſocerum doloſo
Torruit igni,
Triſtis horrendæque necis parentum
Author infœlix: & adhuc ſuperbum
Fertur aggreſsus thalamum Tonantis
Turpibus auſis.
" *Se ſuo prudens pede metiatur*
" *Semper, illuſtris violatus hymen*
" *Sæuit in mœchos, Vetus hoc olympi*
" *Monſtrat adulter.*
Qui leuem amplexus nebulam, premenſ-
que
Brachiis Ventos animum fugaci
Gaudio pauit, ratus eſſe pulchros
Corporis artus.
Sic Rea natam grauitate & ore

Mo-

Mobilis nubes referebat, ex qua
Natus in Vita Venere & Diana
Filius horrens.
Quem viri nullo coluere honore,
Nec dij ingentes habuere charum,
Ipsa Centaurum genitrix pudendo
Nomine dixit.
Thessali turpem pecoris maritum
Atque equa iunctum, genus vnde mista
Prodiit forma, simili ora patri
Tergaque matri.
Talibus diuum sator ille monstris
Hospitem lusit radiantis athra,
Huic dea fingens speciosa membra, &
Damna decora.
Quin sibi Ixion fabricatus ipse est
Concitos orbis radios cruenti,
In quibus plantis manibusque vinctis
Voluitur exspes.
Cumque adhuc nexu tremeret recenti,
Huic Deus facti memor imperauit,
Semper ingratis hominum tremendas
Rumpere voces.
„ *At Deus rerumque potens voluntas*
„ *Cuncta supremo sibi destinata*
„ *Perficit nutu, Deus inquieto*
„ *Rege volantum*
„ *Ocyor nubes secat, & per aquor*
„ *Triste Delphinas superat natantes,*
„ *Et viri elatum caput eminentis*
„ *Tergaque curuat.*

„ Supplices idem timidosque terra
„ Erigit vultus, & honore donat:
Sed feros morsus procul euagata
Effuge musa.
Non vides in te Archilocum parantem
Horridos dentes? grauis hunc egestas
Vrget, hic frendens odio & cauillis
Pascitur atris.
„ Qui bonam iustis opibus paratis
„ Copulat mentem catus atque diues,
„ Ille vir fœlix, Hieron, & astris
„ Natus amicis.
Tu tibi & genti locuples sagaxque,
Vrbium o rector, quibus alta circum
Mœnia assurgunt, Siculæque ductor
Militiai.
Si quis & forsan putat ante Graium
Cuipiam partos similes honores,
Aut opes æquas, vagus ille cæcis
Errat in vndis.
Iam iuuat laudum pelagus tuarum
Rursus ingressum dare fausta vela
Dulcibus ventis: tua namque in armis
Acta iuuentus.
Et frequens olim tibi palma rapta est,
Siue eques celsum rueres in hostem,
Siue in armatos pedes ense nudo
Cominus ires.
Vtque tu primis animosus annis,
Sic te adhuc curæ decorant seniles,
Atque iter latum mihi laudis ætas
Vtra-

Vtraque pandit.
Magne vir salue, tibi mercis instar
Carmen hoc longè super alta missum
Aequora immensi precium reposcit
Grande laboris.
Auribus puris ades, æstimaque
Anxiè cantum cytharæ sonantis
" *Vocibus septem, stabilique fœlix*
" *Vtere regno.*
" *Donec id sensu memori tenebis,*
" *Simiam tantum pueris placere,*
" *Nec viros turpi saliente monstro*
" *Ludificari.*
" *Vixit insigni Radamanthus æuo,*
" *Illius clausas quia semper aures*
" *Liuor offendit, neque cor inunxit*
" *Dulce venenum.*
" *Quale ab illorum cadit ore qui se*
" *Inuidi vexant, aliosque carpunt,*
" *Probra iactantes, similesque canæ*
" *Pectora vulpi.*
Forsitan sese leuibus susurris
Vana victricem fore turba credit,
Credit incassum, mea namque lædi
Nescia fama.
Ac velut captis onerata thynnis
Retia absorbet pelagus, sed altè
Enatat suber, medioque celsum
Aequore ludit.
Sic meum emergit tumidis ab vndis
" *Pulcrius nomen, sed enim vir astu*

Præ-

,, *Praditus nunquam loquitur feroci*
,, *Fortia lingua.*
,, *Verùm amicorum simul hostiumque*
,, *Cultor obscuram tegit arte mentem*
,, *Degener, tales mihi nulla fingent*
,, *tempora mores.*
,, *Diligam charos homines apertè,*
,, *Nec mea inuisos fugiet simultas,*
,, *Quos tamen nitar dubio insequentes*
,, *Fallere calle.*
,, *Vt via currens lupus hac & illa*
,, *Tentat elabi canibus malignis:*
,, *Cæterum ciuis sapienter audax*
,, *Vtilis Vrbi:*
,, *Siue eam sceptro moderetur Vnus,*
,, *Siue Vox turbæ regat insolentis,*
,, *Siue prudentes vigili labore*
,, *Mœnia seruent.*
,, *Ille quem tabes edit inuidentem*
,, *Ne putet se plus Ioue posse summo:*
,, *Iuppiter nunc hos decorat, modo illos*
,, *Tollit in altum.*
,, *Questum & infamem cohibet dolentis*
,, *Sorte Vicini nimium secunda:*
,, *Sed parum hæc prosunt, neque corda musæ*
,, *Liuida sanant.*
,, *Interim & stulti sua Vota spesque*
,, *Regula ingenti male metiuntur,*
,, *Atque mansurum capiunt sub alta*
,, *Mente dolorem:*

Nec

„ *Nec tamen laudes hominumque famam*
„ *Obruunt. Quod si nocitura apud te*
Est mihi fallax & iniqua vatis
Lingua dolosi:
Hoc iugum victor patiente collo
Sponte iampridem domiti feremus.
„ *Non bene vrgenti stimulo repugnat*
„ *Taurus arator.*
„ *Et vir incassum superare fata*
„ *Nititur: sed dij tamen vsque nobis*
„ *Detur insignes hilarare cœtus*
„ *Voce canora.*

ODE

ODE TERTIA HIERONI
Regi, equo celete victoriam adepto:
Quæ incipit,

Ἤθελον χείρωνά κε φιλλυρίδαν.

Eodem numero quo apud Horatium,
Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.



Vm te morbi Hieron vexent nil tale merentem,
(Vulgare ni me fortè votum dedecet)
Phillyrides vtinam Cheiron, Saturnia proles
Purum reuisat luce cassus aera :
Thessalicisque iterum Centaurus regnet in oris,
Pio benignus pectore & membris ferus :
Qualis quondam aluit cupidum lenire dolores,
Et omnis hostem pestis Aesculapium.
Atque huncc ùm Phlegia magno sata pulchra Coronis
Aluo tumente ferret infantem rudem,
Nec dum fœta parens facilem Ilytheian haberet,
Sauis Dianæ fixa telis concidit,
Lethæamque dolis innauit Appolinis vndā
Cubile mutās floridum vmbris tristibus.

Non.

Non Ioue natorum vana est aut debilis ira:
Coronis vni iuncta Phœbo amabili,
Atque illum teneris primum complexa lacertis,
Tandem expetiuit nympha mortalem thorum
Clam genitore, neque est deterrita semine fluxo
Altum deorum sanguinem confundere:
Nec potuit tædas thalami expectare mariti
Dapesque festas, nuptiales & sonos,
Quos iterant ætate pares formaque puellæ,
Desideratus cùm nitet cælo Hesperus.
„ Sed qui virginibus mos pluribus, illa propinquo
„ Longinquum amorem prætulit Cupidini.
„ Mortales inter miseros Gens viuit inanis,
„ Quæ cognita alto negligens fastidio:
„ Semper inexpertis inhiat, speque haurit auara
„ Diffusa cælo nubila & ventos leues.
Hunc numerum inconstans Hyperionis auxit amica
Nurus serena fronte, periura fide:
Inq; sinu Arcadici iuuenis lasciua quieuit,
Nec excubantem fugit augurem deum,
Qui rerum prudens cunctarum, & reddere suetus
Obliqua ad aras delphicas oracula,
Ipse suam cecinit vero sibi carmine sortem:
Læsosque amores Cynthius falsi fugax.

Et

Et fraudes retegens omnes hominumque deumque
Si quid latenti mente vel manu struant.
Tunc quoque vt Elatides semel est deprehensus adulter,
Detecta & illi furta corrupta domus,
Protinus vltrices Dictynnã hortatur in iras,
Inferre & aruis Thessalis pedem iubet.
Bœbiadem accoluit fallax nam virgo paludem.
Nec infidelis distulit pestem dies:
Pestis eam rapuit vicinasq; horrida gentes
Contagione stirpis haustas Regia.
,, Sic sæpe exiguo Vulcani semine lapso,
,, Exorta syluas deuorant incendia.
Sed quando imposita est flammis extincta Coronis,
Illamq; flagrans vndiq; inuoluit rogus:
Tum Phœbus commotus ait, proh; flebile, natum
Pœnis parentis immori crudelibus?
Non patiar genus æthereum feralibus addi
Bustis. statimq; fatus hæc Delphis Deus,
Transit in Aemoniam passu velociter vno,
Et quondam amati corporis videt pyrã.
Quæ venienti vltro cessit diuisa, nec ille
Moratus acri filium eduxit manu
Ignibus è mediis, atque aluo matris adusta,
Centauro & illum nobili exectum tulit.
Scilicet vt puerũ hic maturescentibus annis
Mor-

Morbos doceret arte blanda pellere:
Ergo is semiferi formatus voce magistri
Exemit atris languidos doloribus
Mille viros, & quos vitia intestina grauisq;
Innata labes corporis perederat,
Et qui vulnifico læsi crudeliter ense,
Quibusue funda verbere artus liuidi,
Et qui ægros auida populati febre lacertos
Dura ferebant frigora & flammam vice.
Vtque angor varius, via sic diuersa salutis,
Namque hosce carmen murmure adiuuit sacrum,
His heros medicis impleuit pocula succis,
Illis benigno membra fouit vnguine,
Sæpe animas tenuit suppresso sanguine dulces,
Ferrum perita sæpe tractauit manu.
» Vincitur heu præstans etiam sapientia donis,
» Aurumque menti vincula addit liberæ:
Phœbigenæ certè perstrinxit lumina fuluo
Nitore, & illum blanda merces impulit,
Redderet vt soli nitido & vitalibus auris
Virum seueris obligatum manibus.
Iuppiter iratus rediuiui pectora Glauci,
Et insolentis rupit Aesculapij
Fulmine, quod toto connixus corpore torsit,
Illosque adustos liquit audax spiritus.
» Mortales humana decent, moderataque vota,

Mens-

Et fraudes retegens omnes hominumque deumque
Si quid latenti mente vel manu struant.
Tunc quoque vt Elatides semel est deprehensus adulter,
Detecta & illi furta corrupta domus,
Protinus vltrices Dictynnã hortatur in iras,
Inferre & aruis Thessalis pedem iubet.
Bœbiadem accoluit fallax nam virgo paludem.
Nec infidelis distulit pestem dies:
Pestis eam rapuit vicinasq; horrida gentes
Contagione stirpis haustas Regiæ.
„ *Sic sæpe exiguo Vulcani semine lapso,*
„ *Exorta syluas deuorant incendia.*
Sed quando imposita est flammis extincta Coronis,
Illamq; flagrans vndiq; inuoluit rogus:
Tum Phœbus commotus ait, proh; flebile, natum
Pœnis parentis immori crudelibus?
Non patiar genus æthereum feralibus addi
Bustis. statimq; fatus hæc Delphis Deus,
Transit in Aemoniam passu velociter vno,
Et quondam amati corporis videt pyrã.
Quæ venienti vltro cessit diuisa, nec ille
Moratus acri filium eduxit manu
Ignibus è mediis, atque aluo matris adusta,
Centauro & illum nobili exectum tulit.
Scilicet vt puerũ hic maturescentibus annis
Mor-

Morbos doceret arte blanda pellere :
Ergo is ſemiferi formatus voce magiſtri
Exemit atris languidos doloribus
Mille viros, & quos vitia inteſtina grauiſq;
Innata labes corporis perederat,
Et qui vulnifico læſi crudeliter enſe,
Quibuſue funda verbere artus liuidi,
Et qui ægros auida populati febre lacertos
Dura ferebant frigora & flammam vice.
Vtque angor varius, via ſic diuerſa ſalutis,
Namque hoſce carmen murmure adiuuit ſacrum,
His heros medicis impleuit pocula ſuccis,
Illis benigno membra fouit vnguine,
Sæpe animas tenuit ſuppreſſo ſanguine dulces,
Ferrum perita ſæpe tractauit manu.
„ *Vincitur heu præſtans etiam ſapientia donis,*
„ *Aurumque menti vincula addit liberæ:*
Phœbigenæ certè perſtrinxit lumina fuluo
Nitore, & illum blanda merces impulit,
Redderet vt ſoli nitido & vitalibus auris
Virum ſeueris obligatum manibus.
Iuppiter iratus redìuiui pectora Glauci,
Et inſolentis rupit Aeſculapij
Fulmine, quod toto connixus corpore torſit,
Illoſque aduſtos liquit audax ſpiritus.
„ *Mortales humana decent, moderataque vota,*

Menſ-

„ Mensque imbecilla sortis & fati memor,
„ Pindare res factu faciles amplectere, & altum
Tentare cœlum desine, inuitis diis.
Sed si iterum Aemonio Centaurus viueret antro,
Illique gratum nostra concentum chelys
Ederet, & nerui mulcerent corda loquaces,
Voce hunc mouerem blandienti credulum:
Vt Siculis medicum solatoremque doloris
Iouis nepotem, Cynthij natum daret.
Ipse viro comes adiunctus maria alta secarē,
Donec salubri naue laberer leuis
Ad fontes Arethusa tuos, vitreumq́ꝫ cubile,
Et hospitalem regis Aetnai domum:
Alta Syracusia qui mœnia temperat vrbis
Liuoris expers omnis, aquus ciuibus,
Externos patrio semper complexus amore.
Ne sol aperto purius cœlo micat,
Quàm mea Trinacriis fulgerent ora colonis
Regem gemello si bearem munere,
Apportans illi simul optatamque salutē, &
Paana latum pythij certaminis,
Quo pherenicus equos inter clarescceret, ardens
Cirrhaa victor obtinere pramia.
Verū fata animis obstant contraria nostris,
Quare parentem cœlitum Ream precor,
Panaq́ꝫ quos nostri prope dulcia limina tecti
Luna

Luna imminente virgines comptæ canũt.
Vt tibi rex mollem dent pulso angore quietẽ
Et suaue donum sanitatis aurea.
Quod si forsan aues rectis rationibus acrẽ
Lenire sensum pertinacis calculi,
„ Quod cælo afflati vates cecinere priores,
„ Id tu reconde pectore arcano memor:
„ Nempe Ioui in terras duo dolia plena malorum
„ Effundi, & vno rara vase commoda.
„ Porro homines vani quicquid defluxit Olympo.
„ Graue aut acerbum ferre molles abnegãt:
„ Cuncta viri fortes subeũt, et vulnera vita
„ Plagasque celant, læta proferunt palàm.
Te sceptro & lata regni ditione superbũ
Inter beatos Parca sublimen locat:
„ Sed sors tota nitens & nulla sordida labe,
„ Cadmo nec olim contigit nec peleo:
Ambos prosperitas ad cælum sustulit ingens:
Hic monte duxit pelio Nereida,
Ille sibi Armoniam thalamo tædaque iugauit:
Vtrique musæ plectra mouerunt nouem,
Ac lætum cecinere sonis Hymenæon acutis,
Vterque festa numina excepit domo:
Vidit & humanæ superos accumbere mensæ
Nouisque amica ferre dona nuptiis.
Post tamẽ in tristes verterunt gaudia luctus
Olli benigna fronte mutata Deum,

At-

Iuuantis expers tabuit solatij:
Nec Semele auertit curas formosa. tenensq;
Vinctum Tonantem delicatis brachiis.
At Peleus Danais ploratum fleuit Acĥillē,
Quem mater vnum fuderat Neptunia:
Postquam illum telis animam exhalasse ferocem,
Datumque flammis audiit voracibus.
,, *Quisquis iter carpit directo tramite vitæ,*
,, *Sumit deorum munera in diem libens:*
,, *Perpetuo incertæ variātur flatibus auræ,*
,, *Beatioris æui nec tenor manet:*
,, *Sed fortūa homines cæcos vbi mole honorū*
,, *Ingente pressit, auferens cuncta auolat.*
,, *Inter submissos humilis, tumidusque superbis,*
,, *Sortem quieto pectore oblatam feram,*
,, *Mitiaque aduersis quæram solatia rebus:*
Quod si Deus mi porrigat molles opes,
Spero equidem æternum famæ viuacis honorem,
Et nomen astris aureis inambulans,
,, *Nestoris & Lycij iactat Sarpedonis arma*
,, *Inuectus altis rumor aliger rotis:*
,, *Carminaque Heroas laudes resonantia fundit,*
,, *Olim expolita candida vatum manu.*
,, *At virtus numeris & versu nota decoro*
,, *Longæua edaci nescit absumi diei:*
,, *Sed paucis cātare datū quod sæcula vincat*
,, *Rarique fulgent luce Phœbæa duces.*


ODE

ODE QVARTA ARCHESILAO Cyrenæo Regi, Curru victoriam adepto:

Quæ incipit,

Σάμερον μὲν χρή σε παρ' ἀνδρὶ φίλῳ.

Eodem numero quo illa apud Horat.
Vides vt alta stet niue candidum.


Ac luce molles Melpomene gradus
Moue, & frequentem palmiferis equis
Adi Cyrenem, cùmque rege
Archesilao epulare gaudens.
Laudum vt secundo flamine Delius,
Sororque Phœbi, & Pythia ciuitas
Lætetur, in qua dedicatam
Iuxta aquilam residens sacerdos
Præsentis æstro percita numinis
Suasisse Batto fertur, vt insulam
Theram relinquens, mœnia vrbis
Nobilis in Libya locaret:
Terraque læto pasceret vbere
Fortes colonos, dicta animo tenens
Medeæ quæ iactarat olim
Augure vaticinata lingua.
Medea ducens Aemoniam manum.
Latum per æquor Theram vbi contigit,
Affata sic est remigantem

F *Grauí-*

Grauiter Aesonidæ cohortem:
Audite vos, ô magnanimi Deum
Ducumque nati fertilis Africæ,
Quandoque ab hoc tractu marino
Acre genus petet incolarum,
Quos assidentes Hammonio Ioui
Gentes per omnes gloria differet,
Nec cærulei Delphines illos,
Tunc capient, sed equi frementes,
Iuuabit omnes fræna sonantia,
Remis relictis, sumere, & inscios
Classis procellosique ponti
Quadriiugos agitare currus.
Sic editarum te caput arcium
Matremque ditis Thera Coloniæ
Auis secundæ reddet, atque
Gleba potens Libyæ feracis,
Quam propter vndam Palladij lacus
Triton marinus tectus imagine
Herois, Euphemo Laconi
Obtulit officiosus hospes.
Scindente nubes fulgure dextero:
Namque arte quando Graiugena mea
Soluistis hærentem carinam
Syrtibus & cumulis arenæ;
Vastamque pinum solibus aureis
Bis sex adustas per Numidum plagas
Dorso tulistis, cumque tandem
Visa palus, liquidusque Triton,
Vobis anhelis, ac trabe Peliæ
Deducta in vndas ad madidum latus

Per-

Pernicis Argus, tracta sursum
Ancora nauitenens pependit.
Tunc ora sumens dulce nitentia,
Artusque celsos Eurypyli, Deus
Qui cautibus demulcet vndas,
Argolicam stetit ante puppim:
Nec ille voci aut illecebris precum
Blandis pepercit, queis opibus potens
Sapè aduenas inuitat hospes
Ad socia sacra lata mensa.
Verum aura fælix æquora molliens
Abrupit omnes nauigij moras,
Quanquam Aesonis se nosse prolem
Diceret assimulatus heros,
Iactaret & se progenitum patre
Qui sauienti frugiferam quatit
Tridente terram. sed tenenda
Spes vbi nulla volantis Argus,
Neque hospitalis copia muneris
Oblata præsens altera protinus
Terra vberis fatale donum
Eurypylus per inane misit
Valente dextra: quod procul intuens,
Tendensque amico brachia littori,
Euphemus excepit beati
Pignus agri manibus supinis.
Glebam sed illam fertilis audio
Telluris alta deciduam rate
Fluxisse in vndas, iamque ferri
Fluctibus & pelago solutam.
Atqui id ministris auxiliaribus

Grauiter Aesonida cohortem:
Audite vos, ô magnanimi Deum
Ducumque nati fertilis Africa,
Quandoque ab hoc tractu marino
Acre genus petet incolarum,
Quos assidentes Hammonio Ioui
Gentes per omnes gloria differet,
Nec caruli Delphines illos,
Tunc capient, sed equi frementes,
Iuuabit omnes frena sonantia,
Remis relictis, sumere, & inscios
Classis procellosique ponti
Quadriiugos agitare currus.
Sic editarum te caput arcium
Matremque ditis Thera Colona
Auis secundu reddet, atque
Gleba potens Libya feracis,
Quam propter vndam Palladij lacus
Triton marinus tectus imagine
Herois, Euphemo Laconi
Obtulit officiosus hospes.
Scindente nubes fulgure dextero:
Namque arte quando Graiugena mea
Soluistis harentem carinam
Syrtibus & cumulis arena;
Vastamque pinum solibus aureis
Bis sex adustas per Numidum plagas
D.rso tulistis, cumque tandem
Visa palus, liquidusque Triton,
Vobis anhelis, ac trabe Pelia
Deducta in vndas ad madidum latus

Per-

Pernicis Argus, tracta sursum
Ancora nauitenens pependit.
Tunc ora sumens dulce nitentia,
Artusque celsos Eurypyli, Deus
Qui cautibus demulcet vndas,
Argolicam stetit ante puppim:
Nec ille voci aut illecebris precum
Blandis pepercit, queis opibus potens
Sapè aduenas inuitat hospes
Ad socia sacra lata mensa.
Verum aura fælix æquora molliens
Abrupit omnes nauigij moras,
Quanquam Aesonis se nosse prolem
Diceret assimulatus heros,
Iactaret & se progenitum patre
Qui sæuienti frugiferam quatit
Tridente terram. sed tenendæ
Spes vbi nulla volantis Argus,
Neque hospitalis copia muneris
Oblata præsens altera protinus
Terræ vberis fatale donum
Eurypylus per inane misit
Valente dextra: quod procul intuens,
Tendensque amico brachia littori,
Euphemus excepit beati
Pignus agri manibus supinis.
Glebam sed illam fertilis audio
Telluris alta deciduam rate
Fluxisse in vndas, iamque ferri
Fluctibus & pelago solutam.
Atqui id ministris auxiliaribus

Sapè imperaram ne sinerent muri
Vanescere hoc regale munus,
Cura sed immemores reliquit.
Iamque Africani semina sunt soli
Dispersa Theræ littoribus sacra,
Vetante Parca, quod si ad Orci
Ostia, Tanariasque turres
Donum tulisset bellipotens Lacon,
Propter Cephisi lucida flumina
Prognatus, incultique magno
Rege maris, Titiique nata:
Deductus hæres quartus ab inclyto
Heroe, opimam rex Libyam manis
Cepisset Argis & Mycenis
Agmen agens, validisque Amyclis
At versa quando fata abeunt retro,
Euphemus inter Lemniadas nurus
Receptus, & furtim cubile
Ingrediens Malachæ decentis
Natos creabit, qui Lacedæmone
Sæuis fugati seditionibus,
Theræa tandem littora æquis
Aduenient superis ouantes
Atque inde longam post seriem ducum
Nascetur alta Battus origine
Regnator impanendus oræ
Imbribus vilibus madenti
Hunc vero Delphos templaque Pythia
Ingressum opertis ex adytis Deus:
Monebit vt Nili feraces
Naue petat fugiente lucos,

Secum-

Secumque claros deuehat exules
Pinguem ad Cyrenem: talia Thessalis
Effata Colchis, queis deorum
Conticuit stupefacta proles:
Paulumque remis abstinuit manus
Perculsa nympha carmine prascio.
O Batte fœlix ergo puncta
Ipsa suis stimulis sacerdos
Te voce rexit, te dominum Africa
Ter nominauit Pythia gratulans,
Cùm posceres tantum impedita
Plectra magis resoluta lingua.
Nunc certè vt arbor quam medij educant
Veris tepores, Archesilas viget
Octauus à Batto Cyrena
Mœnibus imperitans auitis.
Illi vt citatis exiliit rotis
Decora Graij pramia iudices
Largiti, & illum iam camœnis
Egregium fidibusque tradam.
Simulque cantabo arietis aurei
Vellus refulgens, nam Mynia hoc rate
Vexere quorum laus parentum
Condecorat Libycos nepotes.
Quæ causa Musa, nauigio imbuit
Rudem Amphitritem, quæ ve necessitas
Commisit ignota carina
Tot iuuenes Pelago volantes?
Vulgata passim sors Pelia impij
Manarat acres Aeolidas virum
Leto daturos vel professo

Marte, vel insidiis opertis.
Audita & horrens vox fuerat Dei
Emissa Delphis; ac medio grauis
Terræ vmbilico, quæ moneret
Exitij pauidum Tyrannum.
Si fortè ad aras cælicolum preces
Fundenti inanes afforet obuius
Ciuis, vel hospes, qui retecto
Crure viam tereret sinistro,
Montisque linques aerij iugum
Deuexam Iolcon, tectaque Thessala
Lustraret: at currente passu
Caliuago fugientis aui,
Venit coruscans spicula dextera
Formosus Heros, vestis ei prior
Magnetis altis apta membris,
Pardalea exterior nocentes
Arcebat imbres, nec iuuenis comas
Adhuc resectas obtulerat diis
Amniue sacro, sed decora
Cæsaries humeris volabat,
Hoc ille cultu & passibus arduis
Incessit vrbis per fora feruida
Vndante turba plebis, atque
Corde metum repulit virili:
Nec vulgus illum nouerat, & statim
Talis stupentis vox populi exiit,
Quisnam hospes hic est? non Apollo est,
Non agitator equum Gradiuus.
Ista Ephialtæ brachia crederem,
Oti ue magni: mutuus at furor

Fra-

Fratres peremit, iamque Naxos
Florida vtrumque tegit sepultum.
Celsum ferebat sic Titius caput,
Incontinentem sed Titium graui
Dictynna confixit sagitta,
Vt licito iuuenes amore
» *Perire discant. dum serit has frequens*
Corona voces, ecce citis equis
Curruque festinans volucri
Aesonida Pelias propinquat:
Quem ferre fulgentem vt pede dextero
Vidit cothurnum, tegminis altera
Egente sura, pallidus rex
Horruit, attonitusque dixit:
Ede hospes & qui te locus aera
Primùm trahentem viderit, & parens
Quis seminarit, quaque ab aluo
Prodieris generosus infans.
Nec quaeso forma hoc ingenuum decus
Mendace lingua pollue. sic senex.
Cui mox Iason, Vera fari
Phillyrida didici magistro.
Chironis antris namque virentibus
Digressus adsum, me vigiles vbi
Puellæ alumnum nutrierunt
Semifero genitore natæ:
Sed bruma postquam bis decima exiit,
Non ore tardus, non manibus piger
Huc appuli rursus, pedemque
In patria posui vetusta.
Vt sceptra iusta vi repetam patri

Erepta fatis disque vetantibus,
Qui Pharsala regnare in æuum
Aeolidas voluere terra.
Nam fama nouit conscia Peliam
Furore cæcum, viribus impiis
Propagini nostræ superbos
Imperij rapuisse fasces.
Et cùm reclusis vix bene pupulis
Phœbæa primùm lumina cernerem,
Iam tum mihi infanti cruentum
Extimuit pia mater ensem.
Ob idque sæua ne caderem manu
Satellitis, me flebilis extulit
Superstitem, fictoque planctu
Funereas tremefecit ædes.
Dum veste tectus punicea procul.
Serui lacertis dulcibus auferor
Qui me inclyti Chironis vlnis
Incolumem dedit educandum.
Verùm ista vobis cognita, nunc precor
Ciues, parentum limen equestrium
Altasque demonstrate sedes,
Nam genitor mihi clarus Aeson,
Neque hospes oris Aemathiis vagor.
Me corpore horrens, arte salutifer
Iasonem Cheiron vocauit
Nomine conspicuum benigno.
Sic fatus, atque huic protinus est domus
Intrata fulgens, & facies grauis
Aspecta patris, cui repenti
Lætitia lachrymæ coortæ

Ebul-

Ebullierunt luminibus cauis,
Imberque barbam proluit, & genas
Gaudentis excellente nati
Robore, sydereoque vultu.
Quin fama postquam sparsit Iasonem
Adesse magnum, protinus Aesonis
Venere germani, Pheresque
Thessalus, atque Lacon Amynthan.
Venere & horum nati alacres duo,
Fortem propinquum visere feruidi
Melampus, Admetusque, quorum
Obuius officiis Iason
Processit ardens, deinde epulis viros
Excepit, atque hos dulcibus interim
Sermonibus donisque mulcens
Laetitia cumulauit omni.
Ac flore rerum, & magnifico dapum
Luxu fruentes, Aeolidae simul
Exire conspexere ponto
Quinque dies totidemque noctes.
Aurora sed cum sexta rosis polum
Conspersit Heros fortia prouidis
Incepta cognatis retexit:
Qui simili caluere voto:
Ollique ab altis purpurei thoris
Simul migrantes, regis ad atria
Superba contendere, & aureum
Vnanimes subiere culmen
At natus audax pulchricomae Tyrus,
Gnarus verendos tot proceres suis
Astare tectis, limen extra

Prodiit irradiantis aula.
Tunc vero Iason colloquium sagax
Blande & remissis vocibus ordiens,
Sic verba distillare cœpit
Mollia difficiles in aures:
Nate inquieto prasi de cautium, &
Periculosi gurgitis arbitro,
» Humana mens ad lucra sape
» Iustitia properat relicta:
» Nec damnum iniquis quastibus additũ,
» Harensque cernit: sed calidam decet
» Bilem prementes nos beata
Texere fila sequentis aui.
Salmoneum scis Creteaque inclytum
Parente fratres Enarea satos:
Nos tertij prognati ab illis
Aetherea recreamur aura.
» Longe reflectunt Parca oculos truces,
» Quando propinquos impetus asperat
» Vasanus, & collidit ira
» Magnanimos procerum nepotes.
» Deforme nobis, Aematij decus
» Illustre regni per validas manus
» Transmissum auorum, scindere armis
» Inque duas lacerare partes.
Quare tibi nunc lanigerum pecus
Vltroque fuluos linquo boum greges,
Linquo arua, quorum messe pingui
Tu locuples spoliatus Aeson,
Orna his superbos exuuiis lares,
Non inuidenti diues Iasone:

Ablata

Ablata solùm sceptra patri
Conqueror, & solium reposco.
Quod ille quondam purpureus premens
Iura æqua genti bellige ræ dabat :
Tu culmen hoc regale nobis
Redde, grauis metuens pericli.
Reddam) marini progenies dei
Inquit) sed artus languida iam meos
Frangit senectus, tu calentis
Robore luxurias iuuentæ :
Tu solus iram flectere Manium
Potens deorum, quæ genus Aeoli
Funestat, ex quo Phryxus Vmbra
Hospite per Scythiam vagatur,
Qui nunc sepultus flagitat vt suus
Decedat oris spiritus exteris,
Atque vt pius gentilis illum
In patriam lachrymans reportet.
Sæpè & micantem præcipit arietem
Graiis referri finibus: hoc memor,
Se turbidis seruatum ab Vndis
Insidiisque trucis nouercæ:
Mandata ad aures talia personat
Nocturnus horror: quin mihi Delphica
Consulta vox, queis exulantes
Auxiliis animæ redirent :
Atque illa iussit veliuola rate
Domum reduci tristis imaginem
Herois : istum tu propinquus
Suscipe remigio laborem,
Naui reuersa frana cito imperi

Remissa nostris de manibus fluent.
Testor Iouem Gentile numen
Cordibus ambiguis iniquum.
Sic ambo pacti consilium duces
Soluere: at ardens Aesonides statim
Clangore praeconum frequenti
Vulgat iter Danaus per vrbes
Qua voce moti tres geniti Ioue
Venere, pugna cedere nescij,
Thebanus Acides, Laconque
Clarus equis, agilisque Castor.
Hos insequuti mox iuuenes duo
Neptunij, altis abietibus pares,
Spartanus Euphamus, Pylique
Arce Periclymenus profectus,
Vterque belli dedecus impotens
Perferre, & osor praecipitis fugae,
Laudumque diues: deinde & Orpheus
Liquit Apollineos penates,
Canorus Orpheus, quo numeri & modi
Parente gaudent: Mercurius quoque
Obiecit illustri Periclo
Euriton Echionemque natos
Vernantis aeui sanguine floridos,
Nec ora frigens Thracia Iasoni
Opem negauit, namque Ventis
Imperitans Aquilo superbis
Ad castra misit nautica gaudio
Ingente Zeten, & Calain simul,
Iam puberes pennis adultis
Aethera flammiferum petentes.

Qui-

Quicunque & olim diis aliis sati
Vixere Iuno mentibus omnium
Cupidinem gratumque amorem
Implicuit volucris carina.
Nec vllus heros temporis inclyti
Decoxit annos coniugis in sinu,
Discrimen aut vitæ propinquum
Desidè mollitia fefellit.
Aeui sed omnes auxilium breuis
Fati & medelam præcipitis, sibi
Virtute quæsiuere longæ
Egregij comites laboris.
Ac postquam Iolci littora flos virum
Compleuit, illos Aesonides statim
Partitur in turmas honore
Afficiens, meritaque laude:
Dum Mopsus augur consulit alites
Cælo volantes, sortibus & viæ
Scrutatur euentus marinæ.
Nec mora numinibus secundis
Prudens aruspex contrahit ocyus
Locatque duros ordine remiges,
Cùm verò iam ponti barathrum
Ancora cæruleum reliquit,
Appensa tergo Peliacæ ratis,
Spumantem Iason tunc pateram tenens
In puppe summa, verberantem
Celsa Iouem pius inuocauit,
Nec ille multa non coluit prece
Vndas, & auras per mare concitas
Restosque cursus, fulgidosque

Ore:

Ore dies, placidasque noctes.
Sed vota Parcæ plurima candida
Fecit, regressum quæ celerem parat
Procul remotis, & xque verba
Fuderat Aeolides in altum,
Cùm parte læua personuit grauis
Dirupta nubes fulmine prospero,
Et fulgur exultante flamma
Aera per nitidum cucurrit.
Tunc verò signis admoniti deum
Tonsas anheli ponere nauitæ
Paulisper, at Mopsus decoro
Parcere eos vetuit labori,
Iussitque totis scindere viribus
Spumantis altè marmora gurgitis,
Solatus ærumnam futuri
Dulcibus auguris honoris.
Exinde nixu perpetuo mare
Vertere vastæ semideum manus,
Inhospitalem donec acri
Remigio tetigere pontum.
Vbi Argonautæ littoribus vagum
Gregem intuentes, iamque salis Deo
Altare sacrum stare ad auras
Cæde boum calida litarunt.
Nudumque sanctis parietibus locum
Cinxere lati, rursus & humida
Parentis aluo nauigantes
Ancipitem subiere casum.
Namque hisce rupes æquoribus duæ
Viuæ arietantes frontibus asperis,

Vento

Vento ocyus classem atterebant
Per medium pelagus natantem :
Cui tum propinquans exitio manus
Argiua, Typhin orat, vt obuia
Saxa inuicem, cautesque vitet
Cursibus oppositis ruentes.
Sed ille prompta naue periculum
Letale fugit, semper & ex eo
Symplegades sensu carentes
Innocua iacuere mole.
Tandem cupitum Phasidis alueum
Intrauit Argo, mistaque barbaris,
Decora Graiorum iuuentus
Phœbigenæ subiit tyranni
Clara coruscans luce palatium.
Atque vt receptum sensit Iasona
Cupidinum formosa mater
Exiit ambrosio cubili,
Auem ipsa pennis versicoloribus
Iynga portans, quæ magicæ rotæ
Bis vinculis astricta binis,
Mentibus ingenerat furorem,
Seritque amores pectoribus graues.
Hanc diua charo tradidit hospiti,
Preces & omnes fœminarum
Mollibus ingeniis amicas :
Vt virgo tandem regia, mobilis
Percussa linguæ verbere, & ignibus
Flagrans Dionais, parentum
Exueret gelidum timorem
Nec spes fefellit, nam placito duci.

Fœlicem

Fœlicem arenæ protinus exitum
Medea monstrat, quoque vincat
Auxilio patrios labores:
Quin ipsa laues principis aduenæ
Inunxit artus, & medicamina
Porrexit illi blanda, acutum
Pellere corporibus dolorem.
Beati amantes denique mutuam
Dedere dulcis coniugij fidem,
Diemque lætum nuptialis
Vnanimes pepigere tedæ.
Post luce fausta remigibus Vagis
Circo tyrannus se medio intulit
Informis, ingens, secum aratra,
Horribilesque trahens iuuencos,
Queis flamma rubris faucibus exiens
Torrebat auras, Vngulaque ænea
Alterna campum Verberabat
Ictibus assiduis gementem.
Verùm feroces quamlibet vnius
Assueta regis dexterâ, sub iugum
Detrusit illos arua cögens
Dura graui penetrare ferro,
Vt sulcus Vlnis quattuor altior,
Demersa terræ Viscera proderet,
Quo barbarus facto intumescens
Sollicitis ait Argonautis:
Iam ductor audax Argolicæ ratis
Tauros furentes iungat, & auream
Mox strata fulgentemque pellem
Auferat Inachias ad Vrbes.

Sic elocuto rege, humeros leuat
Pulchris Iason vestibus: & Dea
Hortante fidens, expeditis
Protinus vrget opus lacertis.
Nec ignis illum feruidus interim
Turbat decoris assiliens genis,
Sponsa per artes vstulari
Egregios prohibente vultus.
Quare profundis è latebris soli
Tenax aratrum Thessalus extrahit:
Deinde igneis bobus superba
Colla premit, domitatque vinclis.
Necnon acutis hos stimulis agens,
Durum cruentat corpus arantibus,
Tandemque designata tristes
Iugera percoluere tauri.
Tunc verò Colchus pectore ab intimo
Elinguis, amens, dat gemitus graues,
Hostemque miratur, simulque
Diuitiis cariturus odit.
At Argonautæ tendere Iasoni
Palmas amicas, spargere floribus
Victorem, & amplexu tenere,
Et cumulo decorare laudum.
Vtquæ illa palmæ gaudia spiritus
Auxere Graios: efferus illico
Monstrauit Aeetes corusci
Arietis exuuias micantes,
Qua sede Phryxi dextra locauerat
Fatale pignus: spem quoque nescius
Rex hausit ærumnæ sequenti

Ter-

Terga trucem iuuenem daturum.
Quercus sub vmbris namque virentibus
Lucebat ardor velleris aurei,
Iuxtaque Serpens accubabat
Dentibus insidians retectis,
Et nocte custos peruigil & die.
Cui corpus amplum, & nauibus arduis
Aequale, quas ferro politas
Vulnifico grauis vnda vectat.
Longu'm instituta pergere adhuc via
Arctante fessam Calliopem die:
Et iam mihi prouisus alter
Exitus est breuiore calle.
Quo turba vatum me sequitur ducem
Prolixa paucis tradere callidum.
Ergo Aesonis natus peremit
Archesila horribilem draconem:
Mox Colchis illi fax Pelia domus
Ablata velis, Oceanus niger
Sulcatus audaci carina,
Vnda maris superata rubri,
Intrata Lemnos hospita, fœminis
Frequens virorum cæde nocentibus,
Ibique luctantes Achiui
Corporibus placuere nudis:
Concensi & illis Lemniadum thori,
Quo tempore Afris limitibus procul
Est Parca contemplata vestrum
Flammiferum iubar exoriri,
Vel nocte victor, luce vel aurea.
Tunc namque seuit belligerum genus
Euphe-

Euphemus, illustremque semper
Vidit Athos radiare gentem :
Armata Sparte donec auis tuis
Electa sedes, qui Lacedæmone
Voluentibus saclis relicta
Cæruleam coluere Theram.
Atque inde promptos consilio ducis
Apollo ventis in Libyam tulit
Terræ vtiles, templisque diuum
Iussit & auricomæ Cyrenes
Franare sacrum legibus oppidum,
„ Nunc verò Sphingis callida percipe
„ Commenta : si quis fortè quercus
„ Robora depopuletur altæ,
„ Eiusque ramos, & decus amputet
„ Frondentis vmbræ, nunquã alias nemus
„ Informe ditescet renatis
„ Fructibus, aut foliis virebit,
„ Postquam vetusto desierit solo
„ Hærere radix eruta : sed tamen
„ Iacentibus lignis fugantur
„ Frigora adhuc hyemesque duræ.
„ Et cùm struenda sunt procerum domus
„ Prosunt columnis marmoreis trabes
„ Iunctæ aridæ, sedesque pulcras
„ Truncus iners prohibet ruina.
Discordiarum pestifera lue
Aegris Cyrenis, Archesila, & fero
Grassante morbo, tu mederi
Ciuibus inualidis peritus :
Hanc dexter artem dat tibi Cynthius,

Iam

Iam te salubri vulnera conuenit
Tractare dextra, lenientem
Triste malum vnguinibus benignis.
„Vrbem æstuosis tundere fluctibus,
„ Grauique motu concutere anxiam,
„ Insana plebs & turba possit
„ Consiliis inimica rectis:
„Verùm quietem reddere pristinam
„ Tumultuosis gentibus, arduum,
„ Ni Iuppiter curas potentum
„ Dirigat, ambiguasque mentes.
Hic cœpta in altum rex tua prouehet,
Contende neruos, nitere viribus
Fulcire totis corruentem
Instabilis patriæ salutem.
Porrò inquit ardens Mæonidæ tuba,
Linguâ eloquentis diuite nuncij
Dulcem adiici rebus leporem
Omnibus, & nitidos honores.
Ac musa portans sollicitas preces
Regum seueris influit auribus
Fœliciter, nouit Cyrene
Et veteris domus alta Batti,
Nulum æquiorem Demophilo virum,
Nec puriori viuere pectore:
Hic flore primæuo virentes
Lusibus exuperat decoris,
Aequat verendos consilio senes,
Centenum & illi currere diceres
Annum, acriter res æstimanti
Iudicij grauitate cana.

Idem

Idem cauillis tristibus abstinet,
Edoctus odit flagitium insolens,
Virtutibus gaudet, nec actis
Segnibus indubitans moratur
,,Iure, incitatis nam pedibus fugax
,, Occasio se proripit: hoc sciens,
,, Caluamque velocemque diuam
,, Subsequitur gradibus propinquis.
,,Indigna certè res, hominem suos
,, Iuuare natum limine patrio
,, Abesse mærentem: tametsi
,, Ille deum generator Atlas
,,Nunc sumptuosis exul ab adibus,
,, Regnique opimis diuitiis procul,
,, Conuexa cæli fulcit, auras
,, Excipiens humeris & imbres.
,,At æthera altum viribus aggredi
,, Titanas ausos carcere Iuppiter
,, Emisit, exoluitque vinclis.
,, Sic placitis variant iniquis
,,Humana Parcæ sed Borea tamen
,, Cessante ventus lenior æquora
,, Componit interdum, nec vsque
,, Vela truces lacerant procellæ.
,,Aegrotus hoc te Demophilus rogat,
Morbo vt leuatus flebilis exili
Fumos adhuc spectare possit
E propriis laribus volantes:
Iuxtaque fontem lucidum Apollinis
Conuiuiorum deliciis frui
Solennibus, mentemque suaui

Red-

Reddere lætitiæ solutam.
Ardente nec non ille cupidine
Optat per vrbis compita regiæ
Errare noctu, & garrientem
Ferre lyram, tremulasque chordas.
Optat quietè viuere, nec premens
Quemquam, nec vllis ipse nocentibus
Obnoxius: cùm verò charas
Attigerit reuocatus oras,
Tunc dicet vltro, nuper vt hospitæ
Thebes amicis sedibus immorans,
Hic carminum dulcem nouorum
Viderit exiluisse fontem.

EIDEM ARCHESILAO
curru victoriam adepto,
Ode quinta:

Quæ incipit,

Ο πλοῦτος εὐρυσθενὴς.

Eodem numero quo illa Olympiorum,
Dum palmam numeris dulcibus alteram.



„ IS *est diuitiis magna potentibus,*
„ *Et turba comitum digna frequentium,*
Si partis opibus semina fulgida
Virtutis sacra misceas,
Diuine Archesila: tu puer illico
Gazas nactus auum, & purpureum decus
Dono Tyndaridæ Castoris aureis
Sueti curribus inuehi:
Per quem celsa tui tecta palatij,
Nunc vestit nitida luce serenitas
Ridens, post pluuiam & iacta domestici
Belli sæua tonitrua.
„ *Prudens cælicolum candida munera*
„ *Exornat celeris dotibus ingeni:*
Te rex iuste hominum conspicuum vndique
Cingit multa beatitas.

Hinc

Hinc gentes opibus prægrauidæ tuis,
Dant frænis dociles ora sequacia,
Quas & consiliis & venerabili
Vultus lumine temperas:
Illinc Pythias & nobilis orbita
Phœbi, nuper equis trita volantibus,
Aequat tu superis, & decorat virum
Læta voce canentium:
Atque implet Clarij deliciis Dei
Iucundis numeris, quos hilaris precor
Cyrene accipias horte cupidinum,
Tellus Cypridis hospita.
„Cælesti sapiens omnia numini
„Fert accepta libens, sed tamen Arrotus
Dignus præcipuis regis amoribus,
Qui certamen ad inclytum
Missus, non genitum stulto Epimetheo
Prætextum comitem degenerem trahens,
Ad celsas rediit Battiadum domos
Et regalia culmina.
Sed postquam liquidam Castaliam bibit
Intactæ referens præmia laureæ,
Gaudentis Lybicas Archesilæ comas
Graiis vinxit honoribus.
Hunc mirata virum Græcia, flexibus
Bissenis stadium radere Pythium, &
Illæso axe rotis vsque valentibus
Densum voluere puluerem.
Quare nunc variis picta coloribus
Rhedæ ligna vaga, promptaq; per nemus
Phœbæum volucri turbine corripi

Vi-

Visuntur sara Cynthio :
Templi & Phoca ci diuite sub tholo,
Cupressi trabibus structa domuncula
Quadrigã emeritã contegit, haud procul
Tergo Cnossia imaginis :
Quam Cretes leuibus missilibus boni
Erexert adytis, vnius arboris
Trunco compositam, rex paria Arroti
Factis munificus refert.
At te ductor equum principis armiger
Collustrant triplici lumine gratia
Ardentes, tibi sors prospera, nec diis
Immortalibus inuidens.
Quem post curriculi mille pericula
Euitata, rotis membraque motibus
Concussa horriferis, laudibus euehunt
Iustis Aonides deæ.
Quadraginta etenim curribus in solum
Effractis grauiter, totque ruentibus
Aurigis laceris, vnicus integrum
Seruasti incolumis iugum,
Pulso horrente metus frigore, iamque te
Digressum è spatiis nobilibus dei
Amplexu. recipit patria, ob os tuum
Obuertens vaga lumina.
Nec te magnanimum pœniteat grauis
» Aerumnæ, anxiferis nemo laboribus
» Expers est, nec erit: dulcia per vices
» Sensit Battus, & aspera.
Battus murus erat ciuibus aneus,
Nec quisquam populis gratior exteris,

Illum aſpecta tamen terruit Africa,
Fuluis plena leonibus.
Excluſitque virum littore nauibus
Aduectum profugis, & facili recens
Donatum eloquio: ſed domuit truces
Tandem Delius incolas.
Atque vt clara polum vertice tangeret
Cyrene Libycis addita finibus,
Campis vberibus præcipites feras
Immanes deus expulit:
Qui ſuccis recreat ſemineces viros,
Aegrotaſque nurus manibus eripit:
Qui vates ſtimulo pungit amabili,
Et culta decorat lyra:
Concordem placidis legibus edocens
Cantum, ac diſſimilem terribili tubæ,
Cuius præſcia mens excubat, & ſonis
Implet fatidicos ſpecus.
Illinc reddita vox Herculeo ſatu
Prognatos variis impoſuit locis
Reges, Argos eis, & Lacedæmona,
Et claram attribuens Pylum.
At noſtrum ſerie continuum genus
Spartana tumidum gaudet origine.
Aegidas proceres Herculidæ vagi
Thebano intuiti ſolo,
Veſcentes auidè pinguibus hoſtiis
Traxerunt comites morigeri deum
Priſcis auguriis: ſic Lacedæmona
Thebana incoluit domus:
Ex qua ducti ataui percelebres mei

Mutaue-

Mutanere domos diuitis hospites
Thera, post Libya. iure igitur patrum
Thymbrae arcitenens memor,
Nunc Carneia tibi concelebro, & sacra
Inter vota pio carmine prosequor
Cyrenem validam mœnibus arduis,
Cognatum patria solum.
Quo tutum exilio, perfugium sibi
Nacti Antenoridæ, gens Helenæ virum
Atridem ausa sequi fluctibus asperis,
Et sæuo Danais mari,
Post versam in cineres Ilion vltimos,
Quin Teucris etiam luce carentibus,
Extinctisque pias inferias adhuc
Mittunt: & tumulos Phrygum
Cæsarum pecudum sanguine proluunt
Cyrenes equites, quos ratibus citis
Innexit Libyæ Battus iter salo
Pandens classibus inuium.
Dux idem omniferam multa per Africam
Deuouit nemora, ac templa micantia
Iustis cœlicolas, vrbis & aream
Recto tramite muniit:
Constrauitque viam qua sacra Apollinis
Irent, & celebri pompa grauis die:
Auertens pauidis gentibus horridas
Pestes & superum minas.
Quin hoc ipse loco Battus, & in fori
Alta fronte sui nunc tumulo occubat,
Qui cùm auum coleret, rex fuit vnicè
Fœlix, post obitum deus,

Sublimen meritis vectus ad æthera.
At reges alij mœnia & oppidum
Extra, funereis aggeribus iacent
Sanctis manibus additi:
Quorum vmbræ tenues atque animæ vagæ
Syluis Elysiis suauiter audiunt
Gentis facta suæ, mellis Hymettij
Dulci rore fluentia,
Tota & Pieriis sparsa liquoribus:
Nec rerum dominis iam superant opes
Vllæ, aut deliciæ, præter amabile
Iucundi Archesilæ decus.
Illum flauicomo dicere Apollini
Nunc laudes meritas conuenit, ob datam
Palmam & Phocaicæ munera laureæ.
„ Lauro sumptus equum grauis
Pensatur, numeris dulcibus additis
„ Phœbææ citharæ: quæ sapientibus
Credens, Archesilam personat, vt supra
Annos grandiloquum, & catum,
Audacique animo forti aquilæ parem,
Quantum huic in medio puluere roboris,
Decursus celeris quanta scientia,
Quam frenis habilis manus.
Rursum Battiadem Phœbus vbi graui
Oestro perculit, hic protinus euolat,
Altè vt dulcis olor cantibus aera,
Et lætum recreans polum.
Nec morum est species vlla vel artium
Afris cognita, quæ fugerit ardua
Sectantē Archesilam: ille quidē hactenus
Ter-

Terris enituit potens,
Sed ne annis superi posterioribus
Vis illi aut sapiens consilium labet:
Neue autumnus vti flamine Thracio
Syluam frondibus exuit,
Sic ætas veniens deterat integram
Fortunam Archesilæ casibus asperis,
„ *Mens alti Iouis & cura placentium*
„ *Successus hominum regit.*
Hæc rerum potiens iam Libyco duci
Ornauit foliis tempora Delphicis,
Regales vtinam velet adhuc comas
Glauca Palladis arbore.

ODE PINDARI SEXTA:
Xenocrati Agrigentino, curru victoriam adepto:
Quæ incipit,

Ἀκούσατ᾽. ἦ γὰρ ἑλικώπιδος Ἀφροδίτας.

Eodem numero quo apud Horatium,
Te maris & terræ, numeròque carentis arenæ,
Mensorem cohibent Archita.



VDITAE hæc animis linguisque fauentibus omnes:
Nam Veneris per amœna vireta,
Perque trium Charitum dulces incedimus hortos,
Vt media tellure nitentes
Visamus Delphos, & Apollinis aurea tēpla,
Emmenidis vbi fortibus, atque
Xenocrati claro, & fluuiis vallato Agraganti,
Est thesaurus conditus ingens
Hymnorum, & laudum seruatur copia diues,
Parietibus circundata sacris:
Quam non flamma ferox erumpens nubibus atris,
Non nimborum exercitus horrens
Au-

Auferet, aut Boreas conuerrens aera pennis
Immundo cum puluere mittet
In maris vndãtes fluctus, salsasq; lacunas:
Sed concordi voce sonantes
Vsque modi (Thrasybule) tuum super a-
thera patrem,
Emmenidarum & stemmata tollent,
Aetatique canent seræ famæque nepotum:
Vt te auriga feruidus axis,
Xenocratis cursu rapidas præuerterit au-
ras,
Cirræo vnicus æquore victor.
At tu nate ducis Phœbæa fronde superbi
Phillyridæ præcepta biformis
Exequeris, quæ Thessaliæ syluestris in
antro,
Marmorea Pelei procul aula,
Ille ferro Aeacide vigil instillabat alumnus
» *Sæpè monens vt fulmina dextra*
» *Vibrantem regem coleret, numenque se-*
cundum
» *Ab Ioue crederet esse parentes.*
Atq; hic Antilochi fidenter in arma ruẽtis,
Sensus erat, qui Memnonis atri
Aethiopum ducis excepit penetrabile ferrũ,
Canitie auertitque paterna
Fortiter occumbens, Paridis nam vulnere
certo
Ictus equus, se in puluere versans,
Nestoris hærentẽ currum tardabat in aruis,
Iamque satum Neleo grauis hasta

 Vrge-

Vrgebat Memnon, quo casu territus Heros,
Progeniem inclamauit amicam.
Nec natus patrias contempsit in agmine
voces,
Aut ventis commisit inanes:
Sed properè accurrens vernanti sanguine
fuso,
Fata sanis vicina redemit.
Sic iuuenes inter claros melioribus annis
Antilochus magnum hoc opus ausus
Supremum antiquæ meruit pietatis hono-
rem:
Sed prisca hæc incanaque virtus.
At nunc natiuo floret genitoris amore
Egregius morum Thrasybulus,
Et patruum Therona sequens micat vndi-
que magnæ
Fortunæ fulgore corusco.
Diuitiis idem fœlicibus vtitur arte,
Nec iuuenem effranata libido
Transuersum rapit, aut infami crimine
turpat,
Sed prudens animus regit, & mens
Sanctarum Aonidum viridi nutrita recessu.
Te verò in primis pater vndæ
Horrisonæ, cursusque potens moderator
equestris,
Rector equum Thrasybulus adorat.
Praterea ille fauis & nectare dulcior Hy-
blæ,
Sæpè hilarat conuiuia lingua.

ODE

ODE PINDARI SEPTIMA.

Quæ incipit,

Κάλλιςον ὦ μεγαλοπόλιες ἀθᾶναι.

Megacli Athêniensi Alcmæonidæ, quadrigis victoriam adepto.

Eodem numero quo apud Horatium,
Quis multa gracilis te puer in rosa.



RBS ô Cecropidum maxima vatibus
Pulchrum Alcmæonidas acre virum genus,
Teque ornare sonantis
Plectri materiam grauem.
Nam quæ turrigero vertice ciuitas
Graium Palladia celsior eminet?
Quæ stirps altior vsquam
Forti Alcmæonidum domo?
Quascunque Axe plagas sol obit aureus
Thesseidarum hilaris gloria permeat.
Necnon fama Megacles
Gentem narrat adhuc tuam,
Vt Pisistratidas vicerit ocyus
Instaurasse nouis molibus atria
Phœbi, nuper iniquæ
Flammis vsta tyrannidis.
Hæc præter rapiunt me quoque, & in tuæ

Campum laudis agunt quinq; Corinthia:
Palma, Pythia duplex;
Vna illustris olympica.
Quas omnes superi vel tibi tuis
Largiti proauis, lætitia & recens
Me victoria mulcet
Cursus filia Delphici.
Vnum illud doleo, post tot adoreas
Te læsum Hippocratis morte domestica.
„ *Verum, vt dicitur, hæc est*
„ *Duratura beatitas,*
„ *Quando non homini curritur orbita:*
„ *Fælix vna diu, sed modò prospera*
„ *Cedunt, & mala rursum*
„ *Humanas variant vices.*

ODE OCTAVA ARISTOMENI Agrigentino palestritæ:

Quæ incipit,

Φιλόφρον ἡσυχία δίκας.

Eodem numero quo apud Horatium,
Mœcenas atauis edite regibus.

» *Pax quæ sola potens Oenopiæ manus*
» *Vnire, & gladios condere ciuicos,*
» *Pax legis placida filia amabilis,*
» *Custos nobilium peruigil vrbium,*
» *Claues vna gerens Martis & otij,*
» *Clauso vt Marte quies arua perambulet,*
» *Palmæ Aristomenis Phocaicæ faue.*
» *Tu cum tempus adest horaque mutuo*
» *Vincis officio, & muneribus ligas*
» *Alternis homines: tu rabies vbi*
» *Insanusque furor mentibus asperis*
» *Iniectus, cohibes vindice numine,*
» *Contundisque truces fortiter impetus,*
» *Vi iusta opposita viribus impiis.*
Ausus Porphyrio te dea fœderum
Contra immota Iouis fata lacessere,
Auersisque ferox bobus Apollinis
» *Vltricem Nemesim sensit: opes enim*
» *Prosunt legitimæ, raptæ homini nocent:*

,, *Gaudium alterniis vicibus, dolorq*
,, *Versat acerbus,*
Vtque nonnunquam veteris nepot
Oedipi fortuna benigna fouit.
Noxa sic illos aliquando torsit
Aetere lapsa.
Nam senem postquam Laium per
Impius fato iuuenis, Deique
Pythij oraclum graue parricida
Ense probatum est.
Crimen hoc tristi furia vidente
Mutuis Reges cecidisse plagis
Vrbe Thebana memorant, piatam
Sanguine cadem.
Vnus at Regum moriens reliquit
Pramiis auctum, celebremque b
Laude Thersandrũ, genus vnde
Surgeret ingens.
Noster hoc Theron proauo superbit
Cuius insignes sociare chordis
Conuenit laudes, memorique nom
Tradere fama.
Namque eum palma decorauit E
Pythius fratri dedit atque cursus
Isthmins nexas apio coronas
Dulce virenti.
,, *Quem suis autem foliis reuinxit*
,, *Pallas, hunc cura fugiunt priores,*
,, *Et virum virtus opulenta bino*
,, *Munere donat.*
,, *Namque fortunam simul & decen*

ISTOMENI
eftritæ:

it,

δίκας.

pud Horatium,
te regibus.

la potens Oenopia:

& gladios condere:

amabilis,
il Vrbium,
rtis & otij,
arua perambulet,
ocaica faue.
boraque mutuo
ribus ligas
abies vbi
tibus asperis
ce numine,
rtiter impetus,
s impiis.
a fœderum
ta lacessere,
Apollinis
sit: opes enim
a homini nocent:

Illum aspecta tamen terruit Africa,
Fuluis plena leonibus.
Exclusitque virum littore nauibus
Aduectum profugis, & facili recens
Donatum eloquio: sed domuit truces
Tandem Delius incolas.
Atque vt clara polum vertice tangeret
Cyrene Libycis addita finibus,
Campis vberibus præcipites feras
Immanes deus expulit:
Qui succis recreat semineces viros,
Aegrotasque nurus manibus eripit:
Qui vates stimulo pungit amabili,
Et culta decorat lyra:
Concordem placidis legibus edocens
Cantum, ac dissimilem terribili tubæ,
Cuius præscia mens excubat, & sonis
Implet fatidicos specus.
Illinc reddita vox Herculeo satu
Prognatos variis imposuit locis
Reges, Argos eis, & Lacedæmona,
Et claram attribuens Pylum.
At nostrum serie continuum genus
Spartana tumidum gaudet origine.
Aegidas proceres Herculidæ vagi
Thebano intuiti solo,
Vescentes auidè pinguibus hostiis
Traxerunt comites morigeri deum
Priscis auguriis: sic Lacedæmona
Thebana incoluit domus:
Ex qua ducti ataui percelebres mei
Mutane-

So-
nnus

Mutanere domos diuitis hospites
Thera, post Libya. iure igitur patrum
Thymbrae arcitenens memor,
Nunc Carneia tibi concelebro, & sacra
Inter vota pio carmine prosequor
Cyrenem validam mœnibus arduis,
Cognatum patria solum.
Quo tutum exilio, perfugium sibi
Nacti Antenoridæ, gens Helena virum
Atridem ausa sequi fluctibus asperis,
Et sæuo Danais mari,
Post versam in cineres Ilion vltimos,
Quin Teucris etiam luce carentibus,
Extinctisque pias inferias adhuc
Mittunt: & tumulos Phrygum
Cæsarum pecudum sanguine proluunt
Cyrenes equites, quos ratibus citis
Innexit Libya Battus iter salo
Pandens classibus inuium.
Dux idem omniferam multa per Africam
Deuouit nemora, ac templa micantia
Iustis cælicolas, vrbis & aream
Recto tramite muniit:
Constrauitque viam qua sacra Apollinis
Irent, & celebri pompa grauis die:
Auertens pauidis gentibus horridas
Pestes & superum minas.
Quin hoc ipse loco Battus, & in fori
Alta fronte sui nunc tumulo occubat,
Qui cùm auum coleret, rex fuit vnicè
Fælix, post obitum deus,

Sublimen meritis vectus ad æthera.
At reges alij mœnia & oppidum
Extra, funereis aggeribus iacent
Sanctis manibus additi:
Quorum vmbræ tenues atque animæ vagæ
Syluis Elysiis suauiter audiunt
Gentis facta suæ, mellis Hymettij
Dulci rore fluentia,
Tota & Pieriis sparsa liquoribus:
Nec rerum dominis iam superant opes
Vllæ, aut deliciæ, præter amabile
Iucundi Archesilæ decus.
Illum flauicomo dicere Apollini
Nunc laudes meritas conuenit, ob datam
Palmam & Phocaicæ munera laureæ.
" *Lauro sumptus equum grauis*
Pensatur, numeris dulcibus additis
" *Phœbææ citharæ: quæ sapientibus*
Credens, Archesilam personat, vt supra
Annos grandiloquum, & catum,
Audacique animo forti aquilæ parem,
Quantum huic in medio puluere roboris,
Decursus celeris quanta scientia,
Quam frenis habilis manus.
Rursum Battiadem Phœbus vbi graui
Oestro perculit, hic protinus euolat,
Altè vt dulcis olor cantibus aera,
Et lætum recreans polum.
Nec morum est species vlla vel artium
Afris cognita, quæ fugerit ardua
Sectantē Archesilam: ille quidē hactenus
Ter-

Terris enituit potens,
Sed ne annis superi posterioribus
Vis illi aut sapiens consilium labet:
Neue autumnus vti flamine Thracio
Syluam frondibus exuit,
Sic ætas veniens deterat integram
Fortunam Archesilæ casibus asperis,
„ *Mens alti Iouis & cura placentium*
„ *Successus hominum regit.*
Hac rerum potiens iam Libyco duci
Ornauit foliis tempora Delphicis,
Regales vtinam velet adhuc comas
Glauca Palladis arbore.

ODE PINDARI SEXTA:
Xenocrati Agrigentino, curru
victoriam adepto:
Quæ incipit,

Ἀκούσατ᾽. ἦ γὰρ ἑλικώπιδος Ἀφροδί-
τας.

Eodem numero quo apud Horatium,
Te maris & terræ, numeròque carentis
arenæ,
Mensorem cohibent Archita.


VDITAE *hæc animis linguisque*
fauentibus omnes:
Nam Veneris per amœna vi-
reta,
Perque trium Charitum dulces incedimus
hortos,
Vt media tellure nitentes
Visamus Delphos,& Apollinis aurea tēpla,
Emmenidis vbi fortibus, atque
Xenocrati claro, & fluuiis vallato Agra-
ganti,
Est thesaurus conditus ingens
Hymnorum, & laudum seruatur copia
diues,
Parietibus circundata sacris:
Quam non flamma ferox erumpens nubi-
bus atris,
Non nimborum exercitus horrens
Au-

Auferet, aut Boreas conuerrens aera pennis
Immundo cum puluere mittet
In maris vndãtes fluctus, salsasq; lacunas:
Sed concordi voce sonantes
Vsque modi (Thrasybule) tuum super aethera patrem,
Emmenidarum & stemmata tollent,
Aetatique canent sera famaque nepotum:
Vt te auriga feruidus axis,
Xenocratis cursu rapidas prauerterit auras,
Cirraeo vnicus aequore victor.
At tu nate ducis Phoebaea fronde superbi
Phillyridae praecepta biformis
Exequeris, quae Thessaliae syluestris in antro,
Marmorea Pelei procul aula,
Ille ferro Aeacidae vigil instillabat alumnus
» *Saepè monens vt fulmina dextra*
» *Vibrantem regem coleret, numenque secundum*
» *Ab Ioue crederet esse parentes.*
Atq; hic Antilochi fidenter in arma ruẽtis,
Sensus erat, qui Memnonis atri
Aethiopum ducis excepit penetrabile ferrũ,
Canitie auertitque paterna
Fortiter occumbens, Paridis nam vulnere certo
Ictus equus, se in puluere versans,
Nestoris haerentẽ currum tardabat in aruis,
Iamque satum Neleo grauis hasta

Vrgebat Memnon, quo casu territus Heros,
Progeniem inclamauit amicam.
Nec natus patrias contempsit in agmine voces,
Aut ventis commisit inanes:
Sed properè accurrens vernanti sanguine fuso,
Fata sanis vicina redemit.
Sic iuuenes inter claros melioribus annis
Antilochus magnum hoc opus ausus
Supremum antiquæ meruit pietatis honorem:
Sed prisca hæc incanaque virtus.
At nunc natiuo floret genitoris amore
Egregius morum Thrasybulus,
Et patruum Therona sequens micat vndique magnæ
Fortunæ fulgore corusco.
Diuitiis idem fœlicibus vtitur arte,
Nec iuuenem effrænata libido
Transuersum rapit, aut infami crimine turpat,
Sed prudens animus regit, & mens
Sanctarum Aonidum viridi nutrita recessu.
Te verò in primis pater vndæ
Horrisonæ, cursusque potens moderator equestris,
Rector equum Thrasybulus adorat.
Præterea ille fauis & nectare dulcior Hyblæ,
Sæpè hilarat conuiuia lingua.

ODE

ODE PINDARI SEPTIMA.

Quæ incipit,

Κάλλιςον ὦ μεγαλοπόλιες ἀθᾶναι.

Megacli Athenienſi Alcmæonidæ, quadrigis victoriam adepto.

Eodem numero quo apud Horatium,
Quis multa gracilis te puer in roſa.



VRBS ô Cecropidum maxima vatibus
Pulchrum Alcmæonidas acre virum genus,
Teque ornare ſonantis
Plectri materiam grauem.
Nam quæ turrigero vertice ciuitas
Graium Palladia celſior eminet?
Quæ ſtirps altior vſquam
Forti Alcmæonidum domo?
Quaſcunque Axe plagas ſol obit aureus
Theſſeidarum hilaris gloria permeat.
Necnon fama Megacles
Gentem narrat adhuc tuam,
Vt Piſiſtratidas vicerit ocyus
Inſtauraſſe nouis molibus atria
Phœbi, nuper iniquæ
Flammis vſta tyrannidis.
Hæc præter rapiunt me quoque, & in tuæ

Campum laudis agunt quinq; Corinthiæ:
Palmæ, Pythia duplex;
Vna illustris olympica.
Quas omnes superi vel tibi tuis
Largiti proauis, lætitia & recens
Me victoria mulcet
Cursus filia Delphici.
Vnum illud doleo, post tot adoreas
Te læsum Hippocratis morte domestica.
„ Verum, vt dicitur, hæc est
„ Duratura beatitas,
„ Quando non homini curritur orbitæ:
„ Fælix vna diu, sed modò prospera.
„ Cedunt, & mala rursum
„ Humanas variant vices.

ODE

ODE OCTAVA ARISTOMENI Agrigentino palestritæ:

Quæ incipit,

Φιλόφρον ἡσυχία δίκας.

Eodem numero quo apud Horatium,
Mœcenas atauis edite regibus.

» PAX quæ sola potens Oenopiæ manus
» Vnire, & gladios condere ciuicos,
» Pax legis placidæ filia amabilis,
» Custos nobilium peruigil vrbium,
» Claues vna gerens Martis & otij,
» Clauso vt Marte quies arua perambulet,
» Palma Aristomenis Phocaicæ faue.
» Tu cùm tempus adest horaque mutuo
» Vincis officio, & muneribus ligas
» Alternis homines: tu rabies vbi
» Insanusque furor mentibus asperis
» Iniectus, cohibes vindice numine,
» Contundisque truces fortiter impetus,
» Vi iusta opposita viribus impiis.
Ausus Porphyrio te dea fœderum
Contra immota Iouis fata lacessere,
Auersisque ferox bobus Apollinis
» Vltricem Nemesim sensit: opes enim
» Prosunt legitimæ, raptæ homini nocent:

" Et tandem ipse suo robore corruit
" Prædator, tumido corde superbiens.
Importunus, atrox, & superis minax
Centeno ore Typhœus, atque Gigantium
Turmas imperio terribili premens
Pœnas fœdifragæ sæuitiæ luit
Crudeles: & eum fulminis ictibus
Traiectũ memorant, Porphyrio ut rapax
Latoi cecidit vulneribus dei.
Qui nunc cælo hilaris spectat uti comas
Laurus virgineis frondibus ambiat
Xenarchis soboli prævalidæ, & cani
Gaudet facta modis fortia Doricis:
Quos Aegina suæ debet origini,
Arginisque atauis. Illa quidem insula
Cultrix iustitiæ, & laudibus inclytos
Iactans Aeacidas, non Charitum procul
Hortis incolitur; nec celebri indiget
Fama: nam quoties aeria prælia,
Concursusque videt Græcia publicos,
Fœcundum toties Oenopiæ solum
Eduxisse suo dicitur vbere
Heroas rapidæ militiæ duces,
Armatisque pares semideis viros.
Sed nunc Pierides non vacat Aeaci
Tellurem liquidis vocibus & lyra
Ornare, atque moram ducere noxiam:
Quin victor potius iam numeri tibi
Decurrant celeres Aonio pede.
Et iam fama noua nuncia laureæ
Per nos aeria carpat iter via,

Su-

Sublimisque volet : namque oleo nitens
Lucta Aristomenes brachia porrigis,
Martis fulmineis fratribus æmulus :
Nec tu mollitia dedecoras piger
Illorum alterius præmia Olympica,
Aut laudem alterius deteris Isthmiam,
Quæsitam horriferis corporis artubus :
Verùm augens veterem Mydilidum tribum,
Virtute impauida strenua comprobas
Vatis dicta solo præcipite obruti :
Quæ quondam sapiens augur in aera
Fudit, cùm soboles altera fortium
Heroum agminibus posterioribus
Thebas armiferas ambiit obsidens.
Nam pubem ille videns cuspide ferrea
In pugna stabilem, sic ait : ò viri,
„ Dat celsos animos egregium genus,
„ Et stirps bellipotens à patre Martio
„ Prolis magnanimæ robora prodeunt.
Ecce autem video progeniem meam
Sæuum Alcmana manu concutere igneũ
Scutum, pictus vbi cæruleus draco,
Et primum Tyriis irruere arcibus.
Qui conuersa dedit terga prioribus
Pugnis, nunc acies instruet alite
Fausta Adrastus, et huic prospera publicè
Res communis erit, regia sed domus,
Ploranda Aegiali funera sentiet,
Ac Princeps Danaum tristia filij
Ossa, & relliquias exanimes gerens,

Victor se patriæ flebilis inferret,
Magna inter reducis gaudia militis,
Fata humana Diis sic variantibus.
Alemanis pius hac præmonuit parens.
At nunc lætus ego, floribus & rosis
Spargo Alcmana sacro semideum ordini
Ascriptum, & volucris flumine Pegasi
Perfundo indigetem, qui laribus tuis
Templũ Aristomenes contiguum tenens,
Largas seruat opes incolumes tibi.
Quin accincto ad iter, moxque plagã soli
Visuro mediam, septaqua Pythia,
Se se Heros radiis fulgidus obtulit,
Gentilique potens augurio tuæ
Oraclum cecinit nobile gloriæ.
Tu vero arcitenens Phœbe, adytũ capax
Sanctũ, illustre, colens Phocidos in sinu,
Illic eximia lætitia virum
Implesti Oenopium, nec viridantibus
Fraudasti foliis, cui prius ardui
Quini exercitij munera miseras
Certanti in viridi gramine patrio,
Cùm Delphinia lux alma reduceret.
Erectis animis glorior haud mihi
In vita numeros deesse, nec ordinem
Rectum, carminibus certè inerit meis
Vsque illæsa fides, nudaque veritas:
Sic æterna vtinam numina cœlitum
Xenarchis vigili cura obeant domum,
Fortunasque malis tristibus arceant.
" *Cùm fœlix aliquis fit sine puluere*

Im-

„ *Immundo, & miseris absque laboribus,*
„ *Vulgus mentis inops hunc putat acribus*
„ *Fretum consiliis artificem virum*
„ *In cælum ingenij dotibus euehi.*
„ *Sed fati proprij nullus adhuc potens*
„ *Vixit: dant Superi cuncta vel auferunt.*
„ *Per quos ille solo tollitur arduus,*
„ *Ille æquo spatio deprimitur gemens.*
Clare Aristomenes robore viuido,
Non fraude es triplicem nactus adoream
Iamdudum, hanc Megaris, hanc Marathonio
Campo, illam patrio littore nobilem,
Iunoni Oenopis sacra ferentibus.
Quin nuper celebri Pythiados die
Strauisti iuuenum corpora quatuor,
Infestis animis desuper incidens
Illis, & solidam concutiens humum.
Nec victos alacer pes retulit domum,
Aut fronti irradians ficta serenitas
Texit, sed manus hæc lugubri itinere
Victricem faciem fugit adhuc tremens,
Fortunaque graui vulnere saucia.
„ *At qui puluereis in spatiis nouum*
„ *Quæsiuere decus, dulcis eos iuuant*
„ *Famæ delicia, spesque hilaris suis*
„ *Pennis in liquidum subleuat æthera,*
„ *Fidentes meritis egregiis viros,*
„ *Et laudum cupidos, immemores opum.*
„ *Verùm vt sæpè breui tempore suauia*
„ *Rerum proueniunt, sic procul auolant,*

Mu-

„ *Mutante in lachrymas lasitiam Ioue.*
„ *Vmbrarum leuium somnia inania,*
„ *Vixque vno stabiles solè volubili:*
„ *Mortales miseri dicite quis grege*
„ *In vestro est aliquid, quisue hominum nihil?*
„ *Nonne atris neaulis terrigenæ obsiti,*
„ *Immisso rutilant lumine cælitum?*
Pulchra Aegina parens diuitis insula,
Sedes ipsa tuas seruitio graui,
Et sceptris prohibe semper ab exteris.
Id tecum altitonans curet, & Aeacus
Peleusque, & Telamon fortis, & inclitus.
Factis Aeacides, excidium Phrygum.

ODE

ODE NONA, TELESICRATI Cyrenæo, Armato cursori:

Quæ incipit,

Ἐθέλω χαλκάσπιδα πυθιονίκαν.

Eodem numero quo apud Horatium,
Iam satis terris niuis, atque diræ.



IAM *libet cœtu Charitū fauente*
Dicere armatū clypei micantis
Orbe victorem, nitidaque ferri
Luce coruscum.
Vita cui fœlix facilisque rerum
Cursus, est, & quo spatium terente
Pythium sumpsit viridem coronam
Diua Cyrene.
Oppidi præses, populique custos,
Hanc comas vento recreans odoras
Phœbus amplexu rapuit tenaci
Pelio ab alto,
Axe & aurato per inane vexit
Naiadem cædis cupidam ferinæ,
In locum ditem segetum, gregesque
Pascere largum.
Tertiam terræ genitricis oram
Florido aspectu facieque lætam,
Atque ibi candens Venus aduolanti
Obuia fatri,
Gemmeum currum digitis eburnis
Conti-

Contigit ridens, thalamumque dulcem
Strauit auriga celeri, & puellæ
Nobilis Hypsei.
Ille tum sauos Lapithas regebat,
Stirpe Neptuni veniens ab alta.
Namque post ductas agiles choraus
Vespere sero,
Pindi in vmbrosis latebris Creusa,
Nata telluris fluuium maritum
Passa, concepit genitore Peneo
Hypsea magnum,
Cuius insignis soboles Cyrene
Brachiis lucens, teretique sura,
Non manum attriuit studiis Mineruæ, et
Deside tela.
Non ei molles placuere cœnæ,
Inter ornatas comites nitenti,
Sæpè sed pilis rutilis vel ense
Aspera virgo.
Fudit horrentem violenter aprum,
Aut lupum tristem patriis timores
Bobus auertens, ouibusq; donans
Otia tutis.
Nunquam & aurora redeunte nympham
Somnus arcano tenuit cubili,
Sed iuga & montes habuere primo
Sole vigantem.
Quoque momento pharetratus illam
Cynthius vidit, Dryas in leonem,
Sola pugnabat manibus capessens
Prælia nudis.

Nec

Nec graui telo velut ante freta
Hoc stupens cœli iaculator acer,
Thessali saltus nemorisque regi
Talia fatur :
Huc ades Cheiron venerande, & antrum
Deserens mirare viraginis cor
Ferreum, mirare nouas reiecta
Cuspide vires.
Vah quibus lauri foliis reuincit
Aureos crines alacris Napaa,
Vt supra ærumnas animum calenti
Pectore gestat.
Vt vacat fluctu dubio pauorum
Flaua bellatrix, quis ei parens est ?
Quæ domus ? quæ gens ? nigra possidenti
Lustra ferarum.
Non prius visum mihi cerno robur,
Parque virtuti speciosa forma est.
An licet Centaure manu placentem
Tollere prædam ?
An licet gratum resecare florem,
E sinu dulci gremioque Nymphæ ?
Tum senex flexo cilio, & recluso
Leniter ore,
Dixit arridens, Ioue nate Titan
„ *Occulit prudens teneros amores,*
„ *Sæpè & accensus reticet pudenti*
„ *Multa rubore.*
„ *Nec viris gratum, neque dis apertè*
„ *Gaudiis sacræ Veneris fruisci :*
Tu tamen flamma stimulante vulnus
Pro-

Prodis opertum.
Quin tui oblitus genus vnde præstans
Duxerit Nais, rogitas Apollo,
Cuius est rerum caput & supremam
Noscere metam,
Qui tenes quot ver genitale frondes
Procreet: , quotnam tenues arenas
Pontus iratus lauet, incitata
Verberet aura.
Qui sagax primos specularis ortus
Fati, & euentus aperis latentes.
Sed si aues pollens Deus admoneri
Voce caduca,
Hancce decliuem pete Phœbe vallem,
Inde nam sponsam super æquor altum
Auferes longè, Libycique sistes
Hammonis hortis,
Præsidem illustri populo futuram:
Quem focis olim patrioque pelles "
Littore vt montem collat imminentem "
Pinguibus aruis.
Sed modo herbosis opulenta campis
Africa inducet celebrem puellam
Aureis tectis, solioque in alto
Elanda locabit.
Atque reginæ dabit ampla rura,
In quibus passim vario grauescent
Arbores fœtu, pecorumque densa
Agmina current.
Quin loco grato nitidaque in ora
Flaua Aristæum pariet Cyrene,
Quem

Quem satus Maia tenerum parenti
Tollet alumnum.
Et citis horis Cybelaque magnæ
Tradet, ast illa puerum comantem
Sedulæ altrices genibus reponent,
Ambrosiamque
Eius infundent roseis labellis
Et linquens nectar, laticem beatum,
Vnde vir Parcas fugiet deorum
Aemulus annis.
Gratus & cunctis populis, quòd illo
Rustici discent homines magistro,
Laneum ductare gregem, nouaque
Pascere cura,
Et feras clausis agitare syluis.
Hæc sene effato, properauit ardens
Cynthius blandæ Veneris maritum
Iungere fœdus.
„ *Nec piger diuum gradus est, nec illos*
„ *Concitos flexu via longa tardat:*
Sole namque vno Deus in remotum
Transiit orbem.
Aurea & sponda iacuit, puellam
Vinciens arctè, Libya inferaci,
Hic vbi claras stadioque notas
Temperat arces.
Nuper has magnis celebrauit ausis
Pythius victor, tua lux Cyrene,
Quæ viro pulchris spoliis onusto
Mœnia pandes:
Læta & effulgens nuribus decoris,
„ *Co-*

„ *Copiam laudum petit ampla virtus :*
„ *Docta non implet breuitas inanis*
„ *Pectora vulgi.*
„ *Attamen tempus moderamen vnum eſt*
„ *Omnium rerum, volucri magiſtro*
„ *Tempori parens Iolaus imis*
Exiit vmbris.

Herculis cùm iam profugos nepotes
Ad necem Euryſtheus violens vocaret,
Nec pia extorres ſinceret latere
Cecropis ora,

Sed fero poſtquam eſt populatus enſe
Regium collum rediuiuus vltor,
Fertur in lucos ſubito relapſus
Ditis opacos.

Oſſa & Herois cinereſque ſanctus
Agger amplexu gelido recepit,
Qui prius magni tumularat artus
Amphitryonis,

Ille Tyrintho generoſus exul
Vixerat Thebis meliora fato,
Inſitus terræ niueorum equorum
Robur alenti.

Quæ Ioui charam validoque regi
Vidit Alcmenam, geminos eodem
Fundere enixu pueros ad arma
Horrida natos.

Mutus, elinguiſque poeta, qui non
Ora in Alciden animoſa ſoluit,
Quiue Dircææ reticet fluenta
Dulcia lymphæ.

Her-

Hercules illam prope lusit infans,
Lusit Iphiclus, similis sed impar
Fratri, at ambobus numeros Thaleia
Votaque solue.
Namque conceptis precibus duorum
Numen implorans Iolaa vicit
Pennipes Telessicrates, citisque
Ocyor Euris.
Semper hunc Musa, tremuloque cantu
Gratia, excelsum super astra tollent:
Splendor aternus radios ab eius
Vertice mittet.
Quippe ter claris Megaris, semelque
Littore Aegina patriam corona
Cinxit, euitans pauidum superbis
Dedecus actis.
„ *Qui virum illustrem vel amat vel odit,*
„ *Mille spectatos oculis labores*
„ *Iactet, & Nerei vigeant vbique*
„ *Dicta marini.*
„ *Hic monens cacos homines fauenti*
„ *Voce, laudari quoque iussit hostem*
„ *Inclytum palmis, & amica factis*
Verba merentem.
Palladis casta sacra pompa, terra
Vberis certamen, Olympiumque,
Patrij & ludi tua victor aquant
Nomina cælo.
Teque florentem variis arenis
Virgines sponsum, generumque matres
Plurima optarunt, tacito calentes
Mol-

Molliter igni.
Porro amor feruensque sitis canendi
Suadet vt laudes resides tuorum
Excitem, & pellam fidibus vetustæ
Nubila famæ.
Nam domus vestræ generisque princeps
Præpotens Alexidamus Libyssum
Ambiens votis hymenæon, altam
Venit Irassam.
Quo sibi Antæi sobolem iugaret
Nomine insignem nitidoque crine,
Mille & optatam ducibus propinquis,
Hospitibusque.
Tanta erant formæ bona virginalis,
Tam viris ardens, animus iuuentam
Auream, & primos ineuntis æui
Carpere fructus.
At pater quærens sociale fulcrum
Filiæ illustri decorare tædæ,
Nobile exemplum Danaum ad remotos
Transtulit Afros.
Fertur Arginus dominator olim
Cùm quaterdenis generis & octo
Traderet natas, iuuenes probasse
Cursibus acres.
Ergo ab aurora medios ad vsque
Solis ardores, procerum volabat
Agmen, & stabant hilares in ima
Calce puellæ,
Præmium gnauis: & vt incitatum
Quisque librarat per inane corpus,

Sic


Sic socer primæ dabat aut sequentis
Præmia formæ.
Deligens campis agiles maritos.
Haud secus ditis Libyæ tyrannus
Virginem sponso dedit assequenti
Passibus auras.
Namque eam longi stadij supremam
Lineam iuxta posuit, decoro
Fulgidam ornatu, foret vt laborum
Fœmina limes.
Dein procos sic est socer alloquutus:
Qui prior natæ niueos amictus
Presserit gressu properante, nuptam
Implicet vlnis.
Vixque regali sonus ore missus
Fluxerat, victor, cupidas in aures,
Cùm tuus me tam tetigit propinquus
Alite cursu.
Et manu apprensam tenera maritam,
Vndique effusis Nomadum cateruis
Latus ostendens, per amicâ duxit
Agmina pompam.
Interim florum pluuia, & rosarum
Nimbus, è circi gradibus cadebat
In virum pennis aliis honoris
Sæpius auctum.

ODE DECIMA, HIPPOCELAE Theſſalo, duplicis ſtadi curſcri.

Quæ incipit,

Ο᾽ λβία λακεδαίμον, μάκαιρα θεσσαλία.

Eodem numero quo apud Horatium,
Intactis opulentior Theſauris Arabum
& diuitis Indiæ.



CLARAM Lacedamona,
O florentem opibus Theſſal:a
plagam,
Natale Hipposlea ſolum,
Terram vtramque manu temperat Her-
culis
Inuicti indomitum genus.
Sed cur altiſonis grandis hiatibus
Primo in limine ſpiritus
Aſſumo tumidos? ſcilicet inclyta
Pytho, Martij Aleuadæ,
Victoriſque mouet me domus ardua,
Vt facta Hipposlea viris
Commitam liquida voce canentibus.
Namqueis lauis adhuc puer
Deguſtat teneris iam labiis decus:
Iam turba in media virum
Parnaſſus reſonans concauus hunc gregē
Imberbem ſuper extulit,

Decurſo

Decurso stadij duplicis æquore.
„ Dulce est Cynthie in ultimo
„ Rerum fine pedem figere prosperum,
Nec dextro sine numine
„ Fœlix auspicium est incipientibus.
Ergo te duce Delie
Primis Hippocleas motibus euolans
Virtute emicuit noua,
Signatum & patriis pressit iter notis.
Bis cursor pater illius
Latis arma humeris fulgida sustinens,
Metæ accessit Olympicæ:
Quin Cirræ viridis planities iugo
Subiecta alipem virum
Victorem nitido restituit lari.
Et natus pius & parens
Cultu perpetuo diuite floreant
Annis aduenientibus:
Iamque haustis Danaum deliciis semel
Cunctis, ne volucris Dea
Conuersam doleant posterius rotam.
Ambos Iuppiter innocens
„ Seruet, semper ei iuncta aderit comes
Famæ longa perennitas,
„ Qui passu rapido, qui valida manu
Gratum præmia ceperit,
„ Coniungens animis robora feruidis.
Quò si præterea intuens
„ Phœbi lumen adhuc conspiciat suo
Crescentem puerum satu,
„ Lauro dulce caput nectere Delphica,

Tantum ardentibus inuehi
,, Astris ille nequit, nauita nam celer
Pernici assequitur rate
,, Quicquid turba hominum debita funeri
Aegro pectore diligit,
,, Quicquid conspicuum suspicit & micas.
Sed tam optantibus arduum
Tali sorte frui, quàm trabe pinea
Delatum, aut pedibus vagis
Laeta Hyperboreum visere pascua.
Inter quos populos dapes
Solennes iniit dux hominum aliger
Perseus, sacrificantibus
Ollis laurigero centum asinos deo.
Quin nunc Phœbus adhuc libens
Consuetis epulis praesidet, & suis
Coram gestit honoribus,
Ac risu quatitur Delius intimo,
Tunc cùm bruta rudentia
Concentus iaciunt faucibus asperos.
Nec verò procul aufugit
Campis innocuis Melpomene exulans.
Sed vocem chorus vndique
Mittit virgineus, tum lyra multiplex
Linguis, tum calami impares
Circum rura sonant carmine Lydio.
Dum conuiuia dulcia
Curat gens foliis cincta recentibus,
Quam non letifer inficit
Morbus, non senium debilitat tremens,
Nec Mars sanguineus quatit,

Aut

Aut exosa scelus numina territant.
Huc accessit anhelitu
Vim spirans Danaes filius aurea,
Et flaua duce Pallade
Fœlices adiit penniger hospites.
Atque hic Gorgone lurida
Occisa, in Seriphum rettulit insulam
Hydris implicitum caput,
Cuius contuitu protinus hostium
Durata obriguit manus,
Extinguente viros funere saxeo.
„ Mirum. sed capiunt fidem,
„ Creduntur que, diis cuncta volentibus.
Remum Musa inhibe precor,
Et fundo tumidi gurgitis anchoram
Defige, auxilium ratis
Horrentis scopulos fluctibus abditos.
Carmen sæpe vagum, velut
„ Mellis blanda opifex prouolat, & modo
Illos, nunc alios petens,
„ plures Aoniis muneribus beat.
Quòd si pulchrum Ephyræ genus,
Et Penei celeres fluminis Accolæ
Thebanos numeros velint
Nostros Aemoniis psallere vocibus,
Audax sponde laudibus
Perfusum Hippocleam mox fore lucidũ
Aetatis teneræ decus,
Molles delicias consilio senum,
Curam virginibus nouam:
„ Quamuis ordinibus vix placet omnibus

,, Quisquam, votaque sæpius
,, In diuersa homines dissiliunt leues.
Qui quod concupiit capit,
,, Ardens ille quidem sollicitudine
In præsen. animum leuat:
,, Sed ventura dies quid vehat ambigit.
Non anceps tamen est mihi,
Non incerta fides Thoracis hospitis,
Qui nostram ambitiosius
Quæsiuit vario tramite gratiam.
Atque his Pieridum rotis
Nuper iunxit equos quattuor alites,
Cùm victoris ad atria
Traxit me comitem dux celer impigrum.
,, Aurum Lydius vt lapis
,, Spectat fida hominum pectora sic probat
Factis experientia.
Nec Thorax sociis vnus amabilis,
Sed fratres simul illius
Ornandi teneris Pegasidum modis,
Qui res iuraque Thessala
Tollentes humeris fortibus efferunt,
Recte principibus bonis
,, Magnarum alma salus creditur vrbium.

ODE VNDECIMA, THRASYDEO
Thebano puero Cursori stadij:

Quæ incipit,

Κάδμου κόραι, σεμέλα,

Eodem numero, quo apud Horatium,
Odi profanum vulgus & arceo.



SCRIPTA *summo tu Semele*
atheri
Ino æstuosis fluctibus addita
Nereidum conciuis vna,
Altera cælicolum deorum,
Alcmena mater vindicis Herculis,
Quaeso ite molli cum grege Naiadum
Ad Meliam Ismeni sororem
Fluminis, inque adytum refulgens
Donis, & auctum vi tripodum aurea,
Quod Phœbus aris pratulit omnibus,
Ismenium fanumque dixit,
Augurio resonante pollens
Huc vos in vnum Melia conuocat,
O dulcis antiquum Armonia genus
Heroides, Dircaa circum
Rura vaga vigilesque semper:
Vt imminenti vespere lucido
Theminque sacram, templaque Pythia,
Iustumque terrarum vmbilicum

Voce dea liquida canatis.
Qua celsa Thebe Cirraque gaudeat
Laborioso puluere nobilis :
Hic bina post gentis trophaea
Enituit Thrasidaus ardens,
Focisque auitis, & patrio lari
Gratam coronam tertius attulit
Cultis ab aruis, qua potenti
Imperio Pylades tenebat
Orestis hospes exulis, ast eum
Lacona Orestem casibus inclytum
Amica nutrix luctuosis
Fraudibus eripuit parentis.
Sauis Atrides cùm manibus cadens
Regale tabo spargeret atrium,
Cumque Vxor atrox corda figens
Dardania generosa vatis
Albente ferro, protinus hanc sequi
Manes iuberet casi Agamemnonis
Ad tartara horrentesque syluas,
Quas Acheron sinuosus ambit.
Num lachrimosa filia in Aulide
Mactata dulci tam procul a domo,
Accendit in cadem feroces
Sanguinea genitricis iras?
An vero inerti subditam adultero
Lasciuus ardor compulit in scelus?
„ Summum omnium certè malorum est
„ Coniugibus teneris libido,
Nec Vultus illam callidus obtegit
„ Arcetue lingua Vulnera noxia.

Quis

,, Quis nescit insanas per vrbes
,, Probra vagis volitare pennis?
Non aula diues comprimit inuidos
,, Plebis susurros, sed populus iacens
,, Imumque vulgus clam beatos
,, Ore fremens lacerat cruento.
Dux ergo Achiuum fatifero die
Spartano inermis procubuit solo,
Pestemque Cassandræ decentis
Attulit innocuæ iuuentæ.
Nec iuuit illum flamma penatibus
Iniecta Teucris, nec Priami domus
Vexata, fœdataque Graiis
Deliciæ Phrygiæ rapinis.
Post funus autem principis illius
Tenella proles ad Strophium est senem
Profecta, conuallis tyrannum
Phocaicæ Pyladisque patrem.
Labente vero tempore martiis
Fidens Orestes viribus, aspera
Parentis Aegystique segnis
Morte pium scelerauit ensem.
Verùm, o sodales, me triplicis via
Abduxit errans semita, cum prius
Incederem recta decori
Per medios Thrasidæi honores.
Me sicut olim nauigium leue
Procella stridens in latus impulit,
Cursuque dimotum secundo,
In grauidos tulit vnda fluctus.
Quare alta Cleio si pretium tibi

Persuasit ingens, Aoniæ vt lyræ
Argenteam vocem locares,
Omnia iam quate fila plectro.
Nunc filium acrem, nunc celebrans patrem
Iucunda quorum gloria fulgurat:
Hæc stirps virum victrice rheda
Sæpe in Olympicas arenas
Excurrit ardens, pugnaque nobilis
Pisæa quondam vestiit igneo
Fulgore gentem concitatos
Quadrupedes agitare fortem.
Nec Pythia illi laurea defuit,
Nam multi alumni palmiferæ domus
Vicere Delphis inquietis
Passibus Argolicas cohortes.
Negata tantum sceptra merentibus.
" Sed pulchra quæ sunt, nec nimis ardua,
" Optare tutum: cumque magnis
" In populis moderata durent,
Sola & bonorum temperies data
" Parcente fato munera porrigat
" Longos in annos: non superbis
" Inuideo diadema regnis.
Contentus æqua sorte potentiæ
" Ciuilis: & si non caret hostibus
" Communis oti cultor, actis
" Alta petens, meritisque magnus,
Et insolentis imperij fugax:
" Sed pulchra mors hunc claraque funera
" Saltem efferunt, nec talis ingens
" Fama viri tegitur sepulchro.

Ve-


Verùm illa totum funditur in genus
,, Iam luce cassi, praque alia domus
,, Gaza enitet, congesta & auri
,, Exuperat pretio talenta.
Hac Vna Iphicli progeniem plagas
,, Differt per omnes cantibus & modis:
,, Hac Castorem commendat orbi
,, Castibus indomitum cruentis:
Fratremque gyris mobilem equestribus,
,, Vtrumque summo cælicolum satu
,, Prognatum, & alternis colentem
,, Aethera frugiferasque terras.

ODE DVODECIMA, MIDAE Agrigentino Auletæ:

Quæ incipit,

Αἰτέω σε φιλάγλαε, καλλίστα βροτεᾶν πολίων.

Eodem numero quo apud Horatium, Inclusam Danaen turris ahænea.



E fulgens Agragas vrbs decus vrbium
Quascunque orbis habet, Persephonæ domus,
Te regina Hecate mœnia possidens
Vndis assita deprecor:
Vt lætis hominum cœtibus & deum
Sumas æquanimis munera laurea
Claro parta Midæ numine & obuio
Fœlicem excipias virum.
Ad cuius numeros multifores cauis
Emissos calamis, æmula fistula
Graiorum obticuit, fistula quam citi
Tritonis reperit dea,
Pallentes imitans Gorgonas ad latus
Medusæ, querulo carmine stridulas,
Miscentesque sonos emorientibus
Serpentum vndique sibilis,
Circum seminecis tempora virginis,
Harpes anxifero vulnere sauciæ.
Illo tempore quo tertia corruit

Phorcynis valida manu
Hostis penniger i, saxifica vt lues
Duratos Seriphi perderet incolas.
Namq; alatus eques quem Danae edidit
Nimbis aurifluis grauis,
Aut vita aut oculis Gorgonas exuit.
Captiua tumido matris adultero
Mutauit rigido gaudia funeri,
Inter regificas dapes,
Altricem asseruit vindice dextera
Abductam domini lecto inamabili
Postquā Heoros fluido sanguine, & anguibus
Fœdum corripuit caput.
Ac vix aurigenæ fratris ab artubus
Pestem depulerat bellipotens soror,
Cum cannas secuit protinus, & truci
Impleuit dea spiritu.
Vt planctum Euryalæ tristis & asperum
Clangorem horribilis cum crepitu genæ
Agresti calamo fingeret, artifex
Commentis celebris nouis.
Inter quæ orta recens fistula transiit
Ad gentes dociles, dictaque plurim
Concentus capitum quod variis parem
Stridorem colubris daret.
Turbis illa loquax in popularibus,
Virtutumq; memor, magnanimum et virū
Vo. em docta per æs mittere splendidam,
Et iunctas per arundines.
Quæ iuxta Orchomeni mœnia gratiis
Sacrata, & numeris vsque sonantia

- S A.　　　　　　　　　　　　*Cephisi*

Cephisi resident fluminis alueo,
Et dulces superant aquas,
Testes virgineis cantibus & choris.
Has nuper roseo cùm tereres labro
Frangi chare Mída nil nocuit tibi,
Nec casus decus abstulit.
Nil faustum ambiguis absque periculis
„ Mortales hilarat: si quem hodie sinu
„ Amplexuque suo sors bona reppulit,
„ Cras latum excipiet libens.
Fati nemo fugit ferrea vincula:
„ Tempus sapè fauens dat bona languidis
„ Desperata animis, sapè alio rapit
„ Exspectata niger dies.

Finis Pythiorum.

ARGVMENTA ODARVM Quæ ſunt in

PYTHIIS PINDARI.

Argumentum Primæ.



ELON & Hieron fratres belli & pacis artibus egregij Siculi ambo (vt narrat Herodotus) in Polyhymnia, primum in Sicilia, expulſis Hippocratis tyranni liberis Gelam oppidum occuparunt, poſtea verò dum ſe Gamorros Syracuſanos ab exilio in ciuitatem reducere ſimulant, poteſtati & ditioni ſuæ Syracuſas ipſas ſubiecere, ac ſucceſſu temporis cùm magnam vbique virtutis bellicæ opinionem haberent, vniuerſæ Siciliæ longè lateque imperarunt, ſed plus aliquanto Herodotus Geloni tribuit quam Hieroni: a quo is tamen fratre defuncto ditiſſimæ & potentiſſimæ inſulæ imperium retinuit, nouamque in Sicilia vrbem condidit Aetnæ monti propinquam & cognominem, à qua etiam cùm Pythia viciſſet, publica præconis voce Aetnæus denominatus eſt. Huius præſtantiſſimi ducis res memorabiles, & pugnas ab eo etiam ægrotante fortiter pugnatas Pindarus hoc carmine exornat, ac præcipuè illius inſignes prælij meminit, quo Amilcar Carthaginenſium rex magnis Phœnicum, Hiſpanorum, Afro-

Afrorum & Italorum copiis in Siciliam inuectus, ab Hierone & Gelone fusus & occisus est: eo ipso die quo Græci prope insulam Salaminem aduersus Persas nauali prælio fœliciter conflixere.

Argumentum Secundæ.

Hoc secundo carmine Pindarus eiusdem Hieronis regis laudes persequitur, eumque ideo præcipuè commendat, quod à Locrorum Epizephyriorum ciuitate libera & optimè morata, Anaxilæ & Cleophrontis tyrannorũ conatus repulerit: cuius singularis beneficij memores Locrenses virgines Hieronis virtutem assiduis cantibus suis celebrabant, atque inde occasione sumpta poëta in peruersos ingratorum hominum mores inuehitur, Ixionisque viri omnium ingratissimi supplicium graue commemorat: sub finem autem carminis inuidos omnes & præcipuè Archilochum poetam æmulum & maledicum acriter insectatur.

Argumentum Tertiæ.

Rex Hiero cùm omnibus fortunæ bonis abundaret, aduersa valetudine erat, magnisque corporis doloribus, & præcipuè calculo, torquebatur: illum admonet Pindarus his versibus vt humanæ conditionis memor ægritudinem

tudinem forti animo ferat, seque in illis corporis angoribus regem quidem, sed non immortalem, neque mœroris & tristitiæ immunem esse cogitet.

Argumentum Quarta.

Archesilaus Cyrenarum rex temporibus illis, quibus Pindarus floruit intestinis seditionibus exagitatus est, tandemque superior factus quosdam ex iis qui aduersum se arma tulerant supplicio affecit, alios exulare iussit, inter quos & Demophilus ciuitate expulsus in Bœotiam ad Pindarum profugisse dicitur illumque obnixè orasse, vt carminibus suis (quorum studio & amore Archesilaus tenebatur) regis iracundiam lenire, sibique in patriam ruditum impetrare conaretur. Vt igitur Pindarus hac in re amico morem gereret, & Archesilaum laudibus delinitum placabiliorem Demophilo redderet, originem regiæ stirpis sibi à veteri quadam memoria & historia repetendam existimauit. Hæc autem eiusmodi est: Iason Peliæ iussu Colchos aduectus, celebratum illud & à poëtis decantatum aureum vellus abstulit, tandemq; in Græciam reuertens ad Africæ littora, atque ad eũ ipsum locum appulisse traditur, in quo longo post tempore Cyrenæ constructæ sunt, multis illius sæculi heroibus Thessalum ducẽ comitantibus, & inprimis Euphemo Spartano, cui

cui quidem è Libya decedenti Triton Deus marinus sibi herois Eurypyli speciem vultumque assumens, glebam Libycæ terræ muneris loco obtulit, vt eo quasi pignore accepto hospes sobolem suam aliquando in Libya regnaturum intelligeret. Postea Iason atque Euphemus è Libya in insulam Theram delati sunt, è Thera in Lemnum vsque peruenere, vbi Euphemus ex Malacha muliere nobili Leucophanem filium suscepit, cuius posteri in Laconiam regionem auitam profecti sunt, ex qua per seditionem expulsi Theræ insulæ dominatum aliquandiu obtinuere: atque in ea ex vetustissimo Euphemi genere Battus ortus est, qui ab oraculo Pythio admonitus, ex Terra in Africam migrauit, in qua eum Strabo solo admodum fertili & fœcundo Cyrenarum ciuitatem condidisse testatur. Cyrenis autem tempore Pind. Archesilaus rex à Batto principe octauus imperabat. Nõ ergo frustra Pindarus huic carmini Iasonis Euphemique res gestas inseruit, & integra penè Argonautica contexuit: vt ea ratione Archesilai regis originem clariorem & illustriorem redderet, quem extremis versibus tandem obtestatur, vt Demophilum virum fortem, eruditum & sapientem in patriam reuocet, & in pristinum dignitatis gradum restituat.

Ar-

Argumentum Quintæ.

Ex superiori Ode huius etiam Quintæ argumentum intelligi potest: nem Pindarus in eiusdem Archesilai principis laudatione, & Battiadum nobilitatis commemoratione versatur, sed hoc carmen magis quàm superius ad victoriam Pythiam pertinet, quam Archesilaus rex absens per Arrotum armigerum obtinuit. Itaque illum ipsum Arrotum merito poëta vt difficilis & Illustris victoriæ autorem celebrat.

Argumentum Sextæ.

Hic Pindarus Xenocratem Agrigentinum & Xenocratis filium Trasibulum laudat, qui parentis vicem sustinens, illi absenti victoriam Pythiam peperit, nec quicquam in hac Ode illustrius est an iqua vi tute Antilochi, quem poëtæ vt patrem Nestorem seruaret, in bello Troiano fortiter occubuisse scribunt.

Argumentum Septimæ.

Hæc Ode in laudem Megaclis Atheniensis scripta est, nec quidquam obscuritatis continet.

Argumentum Octauæ.

Quo tempore Aristomenes Aegineta victoriã in ludis Pythiis assequutus est, Aegina insula ciuilibus discordiis bellisque æstuabat. Itaque initio huius carminis Pindarus pacis & otij commoda multa enumerat: postea verò stylum, vt solet, ad victoris encomium conuertit: sub finem autem humanum genus superbum atq; arroga..s conditionis suæ & imbecitlitatis admonet.

Argumentum Nonæ.

Telesicrates qui hic celebratur nactus erat patriam Cyrenam, & quoniam in Græcorum ludis non solum victores ipsi, sed etiam victorum ciuitates honore affici consueuerant, Cyrenes nymphę venatricis (à qua vrbi nomen impositum) poëta hoc loco vitam, mores & egregia facta commemorat, nec ardentem Phœbi amorem in illam prętcrit, cuius fabulæ suauitate carmini suo aspersa, ad victoris encomium redit, eumque ab Alexidamo regis Antæi genero originem duxisse testatur.

Argumentum Decimæ.

SCRIPTVM est hoc carmen in laudem Hip-

Hippoclẹ pueri Thessali cursoris, sed præter illius laudem Hyperboreorum mores à Pomponio Mela traditos & Persei fabulam, & alia quædam non iniucunda continet. nonnulla etiam ad vitæ humanæ vsum valdè vtilia complectitur.

Argumentum Vndecimæ.

Hæc Ode scripta est Thrasydæo Thebano cursori, nec tota in ornando victore posita est, sed Clytemnestræ reginæ tragicam vituperationem habet, quæ marito Agamemnone occiso filium Orestem ad necessariam patris vltionem compulit, tandemque ipsa cum Aegysto adultero iustissimas pœnas ferociæ & crudelitatis persoluit.

Argumentum Duodecimæ.

Hac Ode celebratur Midas Agrigentinus Auletes, qui cùm fistula in Pythiis ludis æmulos vícisset, occasionem Pindaro præbuit fusius explicandi qua ratione Pallas fistulam calamosque prima inuenerit, vt gemitum Gorgonum in funere sororis Medusæ exprimeret, & sibila serpentum simul cum Medusa morientium imitaretur.

FINIS.

ALIQVOT ALIA EIVSDEM SVDORII CARMINA.

AD AVGVSTISSIMAM FRANCIAE REGINAM, DE Natiuitate filiæ Catholici Hispaniarum Regis.

TOT *Regum patriæque Parens, lætissima fama*
Natalem Hesperiæ neptis tibi nunciat horam,
Fortis aui & patris, quæ mutua fœdera sancit
Exoriens, firmaque addit noua vincula paci.
Forsan & hæc olim non otia lenta sequetur
Fæmina, nec molles tractabit pollice lanas,
Sed leges & iura dabit, populosque verenda
Maiestate reget, rerumque tenebit habenas.
Exemplo Regina tuo, quanquam audiit orbis
Iampridē quid fæmineis Hispania pugnax
Debeat imperiis, Maurosq́ue vt fuderit hostes
Regina armipotens nostrorum tēpore auorū,
Vtque

Vtque viro comes insignem galeata triumphum
Duxerit, illa autem lex iniustissima, si qua
Inseruire bonis prohibet cōmunibus omnes
Mortales, sexusque in eo discrimina ponit
Immerito. nam cur catulos & lustra leæna
Defendat, maribusque animis interrita pugnent,
Cætera quæ charos edunt animalia fœtus,
Fæmina perpetuo studiis ignobilis oti
Intenta, & calathis lanisque addicta quiescat?
Præcipue si qua est priscorum sanguine Regum
Edita, & experiens & rebus nata gerendis,
Qualem te nobis hæc aurea protulit ætas,
Atque tuam ostendent venientia sæcula neptem.

AD REGINAM

HISPANIARVM.

QVAE *Gallis Isabella tuos coniungis Iberos,*
Optato frueris salua puerperio,
Coniugiique tui fœlix atque aurea proles
Causa noua est nobis publica lætitia.
Nec minus hæc ambas demulcent gaudia gentes,

Quod

Quod tibi non fortem fata dedere marem,
Bella mares Martemque cient, at fœmina nata
Pacis & æterni fœderis omen habet.

DE OBITV IOANNIS BORBONII,

Ducis Anguiani, qui in prælio Quintiniano pro patría fortiter dimicans occubuit.

Ex libro Elegíarum.

Vmbra loquitur.

NOTA *nimis Gallis Quintini ad mœnia clades*
Accepta, & cædes tot miseranda virum,
Queis ductorque fui, & longè fortissimus author
Corpore vt obiecto protegerent patriam.
Nec tamen hic animus iucundi prodigus æui,
Nec mouit tristes forma decora deas,
Nec genus antiquo Francorum è sanguine Regum,
Nec vota heu tristis anxia Borboniæ,
Quam mihi coniunctam à thalamo tedaque recenti

Misit

Misit ad exequias sors inimica meas.
Certè dignus eram quem post tot fortia facta,
Tot cæsos hostes, raptaque signa ducum
Flandrorum, è media tandem Venus ipsa phalange
Sublimem eripiens nube caua tegeret,
Moxque insperanti saluum monstraret amicæ,
Fragranti & fessum poneret in thalamo.
Sic diua hæc olim Troiæ sub mœnibus altis
Dicitur Atridis eripuisse Parim.
t me magnanimum Assaraci Priamique nepotem
Nulla dea à mortis limine restituit:
Magna tamen nostros solantur gaudia manes
Quòd socia illa mei sanguinis, illa thori.
Non semper viduum seruauit sola cubile,
Languida nec mœsto tabuit in thalamo:
Sed dignum sortita virum est florentibus annis,
Cui pingit teneras prima iuuenta genas,
At, si, quod nolim, Francorum tempora mittent
Hunc etiam ad pugnas, & graue Martis opus.

I *Opto*

Opto quidem ut simili mecum celebretur honore,
Sed iuuenem melius seruet amica Venus
Nec sinat huic ali lædi præcordia telo,
Quàm quod amor dulci tingit amaritie,

EPITHAPHIVM ERATINAE
Puellæ, quæ amantis vnius desiderio, & alterius tædio extincta est.

GESTAT *amor binas pharetra victrice sagittas,*
Hæc desiderium pellit, & illa parit.
Hæc in virginibus fastidia gignit amantum,
Illa iuuat cupidos conciliatque viros.
Alterutram tantum donec Eratina puella
Experta est, vixit mille petita procis:
Vt rosa purpureis quæ florida vernat in hortis,
Raptorumque auidas prouocat ipsa manus.
Sed postquam geminos sensit crudeliter ictus,
Extincta est duplici casta puella malo.

EPITHAPHIVM ANNAE MOMMORANTII FRANCIAE Conneſtabilis.

HENRICVS *Regum decus, & mauortius Annas*
Exegere ſua fœlicia tempora vita
Vnanimes: atque vt cœlum qui ſuſtinet Atlas
Sapè onus Alcidæ laſſa ceruice relinquit:
Sic horum alternis viguit res Gallica curis
Nixa diu: & viguere artes, & publica iura,
His populum antiqua ſub relligione tueri
Par ſtudium fuit, & ritus ſeruare vetuſtos.
Nec modò tranſactum eſt votis communibus æuum,
Sed fuit & ſimilis quædam concordia fati,
Nam poſtquam externo voluere occumbere bello
Sæpius, & Francis patriæque impendere vitam:
Heu gemini Heros dextra perire ſuorum,
Hic haſta, ille caput crudeli ſaucius enſe.

DE CAESARE CATONEM PERSEQVENTE.

POST *tot deuictos homines, orbemque subactum,*
Quid tibi libertas vna Catonis obest,
Cæsar atrox? num te viuentis gloria lædit?
Fortè & defuncti non minus vret honor.

NE-

NEMEA PINDARI
LATINO CARMINE
REDDITA,
PER
NICOLAVM SVDORIVM
Inquiſitionum Præſidem.

PRAEFATIO.

Ad ampliſſimum Virum Philippum Huraltum Chiuernium Galliarum Procancellarium.



VVM Plinius in libris naturalis hiſtoriæ conqueritur, Vir ampliſſime, prouentum agrorum ſuo tempore minimè vbertati ſuperiorum ætatum reſpondere: tantam tamque inſignem mutationem non exhauſtæ & quaſi effœtæ ſoli naturæ, ſed cultorum ſocordiæ & negligentiæ imputat. Sic etiam, ſi quis diligentius inquirat, cur noſtri temporis homines ab illa decantata, & celebrata veterum virorum ex-

cellentia longissimè absint, intelliget tandem non vim ingeniorum vetustate & quodam temporum senio defecisse aut elanguisse: sed disciplinam & institutionem iuuentutis, quam Græci παιδείαν appellant, claritudinis & perfectionis omnis origenem fontemque esse: quo præciso vel auerso virtutem ipsam in hominibus paulatim exarescere & aboleri necesse sit. Quemadmodum enim ait Poeta,

Fortes creantur fortibus & bonis.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Ac mihi quidem multarum nationum studia & instituta consideranti plurimæ ex illis, vt Germani, Scythæ, Sarmatæ, & Galli antiqui, omnia in vnius corporis firmitate & robore constituisse videntur, & à disciplinis liberalibus, artibus & scientiis penitus abhorruisse. Ideoque factum est vt incultis eorum & inexercitatis animis nihil nisi barbarum, rude & agreste inesset. Quumque olim populi huiusmodi in diuersas regiones & terras magnos & bellicosos impetus facerent, numquam tamen nationum à se victarum imperium retinere poterant, his scilicet auxiliis destituti, eáque arte & solertia carentes, qua victæ gentes victricibus conciliari solent, & abiecta rebellendi cupidine otij & secu-

ſecutita: is illecebris capi & deliniri. Poſteriores autem Græci, quum ingeniis & eloquentia quàm armis præſtare mallent, & dulcedine pacis emolliti bellorum laborem ærumnaſque refugerent & auerſarentur: tandem libertatem antiquam cum vitæ deliciis & tranquillitate permutarunt: ac facilè à Romanis domiti eorum iuſſis & legibus non inuiti paruere. Sola antiqua Græcia, quam virtus Romana imitata eſt, eam diſciplinam eáque inſtituta coluit, quibus & domi libertas retineri, & foris imperium quæri ſolet. Nam quum homo ex corpore & animo compoſitus ſit, numquam Græci antiqui aut corporibus agitandis & corroborandis nimiùm dediti, ingeniorum cultum abiecerunt, aut in capeſſendis artibus & ſcientiis penitus occupati corporum exercitia neglexere. Itaque ſcribit Plato in Alcibiade primo, Græcos olim adoleſcentes, qui ingenuè & liberaliter inſtituerentur, tria in gymnaſiis diſcere conſueuiſſe, τά γράμματα, κιθαρίζειν, κὶ παλαίειν, hoc eſt literas, citharæ pulſandæ artem, & palæſtram. Alibi autem, in lib. de Repub. παιδείαν Græcorum, quemadmodum & Ariſtotel. in duas tantum partes diuidit, μουσικήν κὶ γυμναστικήν. Sub Muſica antiqui non tantum harmoniam & ſonos, ſed Poeticam, Rhetoricam, hiſtoriarum cognitionem, mathematicas quaſdam artes, atque, vt vno verbo abſoluam, omnia Apollinis & Muſarum

præclara inuenta comprehendebãt. Gymnastica autem & luctam, & pancratium & cursum & saltum & iaculationem & disci in sublime iactationem complectebatur. Quæ quidem exercitia omnia veteres Græci non animi & delectationis causa, sed in castrorum & militiæ vsum suscipiebant. Nam primum lucta illis proderat, vt in præliis hostem comprehensum ad terram affligere, ipsiq; prostráti tutiùs cadere & celeriùs resurgere discerẽt. Pancratio & cęstibus ad vulnera & plagas corpora eorum indurabantur, & acerrimis doloribus perferendis assuescebant. Iam cursus & saltus & omnis iaculationis vtilitatem in præliis nemo ignorat, vt milites & fugientem hostem insequi, & vallum fossasque transilire, & scienter eminus tela vibrare possint. Quos omnes labores quum diu Græci in gymnasiis nudi sustinuerant, postea in bello thorace ferreo circundati sib ipsis inuulnerabiles & insuperabiles videbantur, vimque & ictus hostium omnes facilè contemnebant. Nec verò hoc loco omittendi sunt ἀγῶνες ἱππικοὶ, siue equestria certamina in quibus equi generosissimi dexteritate summa, sine conflictu tamen, & sine vllo vitæ periculo agitabantur. Sed mirabitur fortasse quispiam, cur in recensendis veterum Græcorum exercitiis ὁπλομαχία, id est ars gladiatoria à nobis prætermissa sit: quum præsertim illa vna apud omnes

fere

ferè populos hodie frequentetur, & sola iusti certaminis pugnæque legitimæ adumbratam quandam imaginem habeat. Nos verò artificium illud certandi armis pugnatoriis in Græcia olim neglectum fuisse ab adolescentibus ingenuis affirmare possumus, priscorum authorum claris apertisque testimoniis adducti. Etenim Plato in dialogo de fortitudine sic Lachetem de ea re disserentē inducit, εἰ τι ἦν τοῦτο τὸ ὁπλιτικὸν, μάθημα οὐκ ἂν λέληθε Λακεδαιμονίους, οἷς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ ὅτι ἂν μαθόντες πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. νῦν δ᾽ ὁρῶ τούτους τοὺς ἐν ὅπλοις μαχομένους Λακεδαίμονας ἡγουμένους εἶναι ἄβατον ἱερὸν, καὶ οὐδὲ ἄκρῳ ποδὶ ἐπιβαίνοντας. Si ars gladiatoria vsum aliquem in armis haberet, nunquam id fugisset Lacedęmonios, qui nihil aliud in tota vita agunt, nisi vt ceteros omnes bellandi peritia & artificio superent. Nunc verò videmus omnes istos gladiatores, qui pugnatoriis armis vtuntur, ne extremis quidem pedibus audere Lacedęmonē attingere: quod vrbem illam sibi quasi adytum quoddam & sacrarium inaccessum existiment. Anacharsis autem apud Lucianū de Athenis altero Græciæ lumine loquens, sic ait, ποῦ ἐστιν ὑμῖν ὦ Σόλων τὸ γυμνάσιον τὸ ἐν τοῖς ὅπλοις; οὐ γὰρ εἶδον ἔγωγε ἐν τῇ πόλει τοιοῦτον οὐδὲν ἅπασαν αὐτὴν ἐν κύκλῳ περιελθών.

ALIQVOT ALIA EIVSDEM SVDORII CARMINA.

AD AVGVSTISSIMAM FRANCIAE REGINAM, DE Natiuitate filiæ Catholici Hispaniarum Regis.



OT *Regum patriaque Parens, latissima fama*
Natalem Hesperiæ neptis tibi nunciat horam,
Fortis aui & patris, quæ mutua fœdera sancit
Exoriens, firmaque addit noua vincula paci.
Forsan & hæc olim non otia lenta sequetur
Fœmina, nec molles tractabit pollice lanas,
Sed leges & iura dabit, populosque verenda
Maiestate reget, rerumque tenebit habenas.
Exemplo Regina tuo, quanquam audiit orbis
Iampridē quid fœmineis Hispania pugnax
Debeat imperiis, Maurosq; vt fuderit hostes
Regina armipotens nostrorum tēpore auorū,

Vtque

Vtque Viro comes insignem galeata triumphum
Duxerit, illa autem lex iniustissima, si qua
Inseruire bonis prohibet cõmunibus omnes
Mortales, sexusque in eo discrimina ponit
Immerito. nam cur catulos & lustra leana
Defendat, maribusque animis interrita pugnent,
Catera qua charos edunt animalia fœtus,
Fœmina perpetuo studiis ignobilis oti
Intenta, & calathis lanisque addicta quiescat?
Pracipue si qua est priscorum sanguine Regum
Edita, & experiens & rebus nata gerendis,
Qualem te nobis hac aurea protulit atas,
Atque tuam ostendent venientia sacula neptem.

AD REGINAM

HISPANIARVM.

QVAE *Gallis Isabella tuos coniungis Iberos,*
Optato frueris salua puerperio,
Coniugiique tui fœlix atque aurea proles
Causa noua est nobis publica latitia.
Nec minus hac ambas demulcent gaudia gentes,

Quod

Quod tibi non fortem fata dedere marem,
Bella mares Martemque cient, at fœmina nata
Pacis & æterni fœderis omen habet.

DE OBITV IOANNIS BORBONII, Ducis Anguiani, qui in prælio Quintiniano pro patría fortiter dimicans occubuit.

Ex libro Elegíarum.

Vmbra loquitur.

NOTA *nimis Gallis Quintini ad mœnia clades*
Accepta, & cædes tot miseranda virum,
Queis ductorque fui, & longè fortissimus author
Corpore vt obiecto protegerent patriam.
Nec tamen hic animus iucundi prodigus æui,
Nec mouit tristes forma decora deas,
Nec genus antiquo Francorum è sanguine Regum,
Nec vota heu tristis anxia Borboniæ,
Quam mihi coniunctam à thalamo tedaque recenti

Misit

Misit ad exequias sors inimica meas.
Certè dignus eram quem post tot fortia facta,
Tot casos hostes, raptaque signa ducum
Flandrorum, è media tandem Venus ipsa phalange
Sublimem eripiens nube caua tegeret,
Moxque insperanti saluum monstraret amica,
Fragranti & fessum poneret in thalamo.
Sic diua hac olim Troiæ sub mœnibus altis
Dicitur Atridis eripuisse Parim.
t me magnanimum Assaraci Priamique nepotem
Nulla dea à mortis limine restituit:
Magna tamen nostros solantur gaudia manes
Quòd socia illa mei sanguinis, illa thori.
Non semper viduum seruauit sola cubile,
Languida nec mœsto tabuit in thalamo:
Sed dignum sortita virum est florentibus annis,
Cui pingit teneras prima iuuenta genas,
At, si, quod nolim, Francorum tempora mittent
Hunc etiam ad pugnas, & graue Martis opus.

I Opto

Opto quidem ut simili mecum celebretur honore,
Sed iuuenem melius seruet amica Venus
Nec sinat huic ali lædi præcordia telo,
Quàm quod amor dulci tingit amaritie.

EPITHAPHIVM ERATINAE

Puellæ, quæ amantis vnius desiderio, & alterius tædio extincta est.

GESTAT *amor binas pharetra victrice sagittas,*
Hæc desiderium pellit, & illa parit.
Hæc in virginibus fastidia gignit amantum,
Illa iuuat cupidos conciliatque viros.
Alterutram tantum donec Eratina puella
Experta est, vixit mille petita procis:
Vt rosa purpureis quæ florida vernat in hortis,
Raptorumque auidas prouocat ipsa manus.
Sed postquam geminos sensit crudeliter ictus,
Extincta est duplici casta puella malo.

EPI-

EPITHAPHIVM ANNAE MOMMORANTII FRANCIAE Conneſtabilis.

HENRICVS *Regum decus, & mauortius Annas*
Exegere ſua fœlicia tempora vita
Vnanimes: atque vt cœlum qui ſuſtinet Atlas
Sapè onus Alcida laſſa ceruice relinquit:
Sic horum alternis viguit res Gallica curis
Nixa diu: & viguere artes, & publica iura,
His populum antiqua ſub relligione tueri
Par ſtudium fuit, & ritus ſeruare vetuſtos.
Nec modò tranſactum eſt votis communibus æuum,
Sed fuit & ſimilis quadam concordia fati,
Nam poſtquam externo voluere occumbere bello
Sæpius, & Francis patriaque impendere vitam:
Heu gemini Heros dextra perire ſuorum,
Hic haſta, ille caput crudeli ſaucius enſe.

DE CAESARE CATONEM PERSEQVENTE.

POST tot deuictos homines, orbemque subactum,
Quid tibi libertas vna Catonis obest,
Cæsar atrox? num te viuentis gloria lædit?
Fortè & defuncti non minus vret honor.

NE-

NEMEA PINDARI
LATINO CARMINE
REDDITA,
PER
NICOLAVM SVDORIVM
Inquiſitionum Præſidem.

PRAEFATIO.

Ad ampliſſimum Virum Philippum Huraltum Chiuernium Galliarum Procancellarium.



QVVM Plinius in libris naturalis hiſtoriæ conqueritur, Vir ampliſſime, prouentum agrorum ſuo tempore minimè vbertati ſuperiorum ætatum reſpondere: tantam tamque inſignem mutationem non exhauſtæ & quaſi effœtæ ſoli naturæ, ſed cultorum ſocordiæ & negligentiæ imputat. Sic etiam, ſi quis diligentius inquirat, cur noſtri temporis homines ab illa decantata, & celebrata veterum virorum ex-

cellentia longissimè absint, intelliget tandem non vim ingeniorum vetustate & quodam temporum senio defecisse aut elanguisse: sed disciplinam & institutionem iuuentutis, quam Græci παιδείαν appellant, claritudinis & perfectionis omnis origenem fontemque esse: quo præciso vel auerso virtutem ipsam in hominibus paulatim exarescere & aboleri necesse sit. Quemadmodum enim ait Poeta,

Fortes creantur fortibus & bonis.
Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.

Ac mihi quidem multarum nationum studia & instituta consideranti plurimæ ex illis, vt Germani, Scythæ, Sarmatæ, & Galli antiqui, omnia in vnius corporis firmitate & robore constituisse videntur, & à disciplinis liberalibus, artibus & scientiis penitus abhorruisse. Ideoque factum est vt incultis eorum & inexercitatis animis nihil nisi barbarum, rude & agreste inesset. Quumque olim populi huiusmodi in diuersas regiones & terras magnos & bellicosos impetus facerent, numquam tamen nationum à se victarum imperium retinere poterant, his scilicet auxiliis destituti, eâque arte & solertia carentes, qua victæ gentes victricibus conciliari solent, & abiecta rebellendi cupidine otij &

secu-

ſecuritatis illecebris capi & deliniri. Poſteriores autem Græci, quum ingeniis & eloquentia quam armis præſtare mallent, & dulcedine pacis emolliti bellorum laborem ærumnaſque refugerent & auerſarentur: tandem libertatem antiquam cum vitæ deliciis & tranquillitate permutarunt: ac facilè à Romanis domiti eorum iuſſis & legibus non inuiti paruere. Sola antiqua Græcia, quam virtus Romana imitata eſt, eam diſciplinam eáque inſtituta coluit, quibus & domi libertas retineri, & foris imperium quæri ſolet. Nam quum homo ex corpore & animo compoſitus ſit, numquam Græci antiqui aut corporibus agitandis & corroborandis nimiùm dediti, ingeniorum cultum abiecerunt, aut in capeſſendis artibus & ſcientiis penitus occupati corporum exercitia neglexere. Itaque ſcribit Plato in Alcibiade primo, Græcos olim adoleſcentes, qui ingenuè & liberaliter inſtituerentur, tria in gymnaſiis diſcere conſueuiſſe, τά γράμματα, κιθαρίζειν, κὶ παλαίειν, hoc eſt literas, citharæ pulſandæ artem, & palæſtram. Alibi autem, in lib. de Repub. παιδείαν Græcorum, quemadmodum & Ariſtotel. in duas tantum partes diuidit, μουσικήν κὶ γυμναςικήν. Sub Muſica antiqui non tantum harmoniam & ſonos, ſed Poeticam, Rhetoricam, hiſtoriarum cognitionem, mathematicas quaſdam artes, atque, vt vno verbo abſoluam, omnia Apollinis & Muſarum

præclara inuenta comprehendebāt. Gymnastica autem & luctam, & pancratium & cursum & saltum & iaculationem & disci in sublime iactationem complectebatur. Quæ quidem exercitia omnia veteres Græci non animi & delectationis causa, sed in castrorum & militiæ vsum suscipiebant. Nam primum lucta illis proderat, vt in præliis hostem comprehensum ad terram affligere, ipsiq; prostrati tutiùs cadere & celeriùs resurgere discerēt. Pancratio & cęstibus ad vulnera & plagas corpora eorum indurabantur, & acerrimis doloribus perferendis assuescebant. Iam cursus & saltus & omnis iaculationis vtilitatem in præliis nemo ignorat, vt milites & fugientem hostem insequi, & vallum fossasque transilire, & scienter eminus tela vibrare possint. Quos omnes labores quum diu Græci in gymnasiis nudi sustinuerant, postea in bello thorace ferreo circundati sib ipsis inuulnerabiles & insuperabiles videbantur, vimque & ictus hostium omnes facilè contemnebant. Nec verò hoc loco omittendi sunt *ἀγῶνες ἱππικοὶ*, siue equestria certamina in quibus equi generosissimi dexteritate summa, sine conflictu tamen, & sine vllo vitæ periculo agitabantur. Sed mirabitur fortasse quispiam, cur in recensendis veterum Græcorum exercitiis *ὁπλομαχία*, id est ars gladiatoria à nobis prætermissa sit: quum præsertim illa vna apud omnes

ferè

ferè populos hodie frequentetur, & sola iusti certaminis pugnæque legitimæ adumbratam quandam imaginem habeat. Nos verò artificium illud certandi armis pugnatoriis in Græcia olim neglectum fuisse ab adolescentibus ingenuis affirmare possumus, priscorum authorum claris apertisque testimoniis adducti. Etenim Plato in dialogo de fortitudine sic Lachetem de ea re disserentē inducit, εἴτι ἦν τοῦτο τὸ ὁπλιτικὸν, μάθημα οὐκ ἂν λέληθε Λακεδαιμονίους, οἷς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ ὅτι ἂν μαθόντες πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. νῦν δ' ὁρῶ τούτους τοὺς ἐν ὅπλοις μαχομένους Λακεδαίμονας ἡγουμένους εἶναι ἄβατον ἱερὸν, καὶ οὐδὲ ἄκρῳ ποδὶ ἐπιβαίνοντας. Si ars gladiatoria vsum aliquem in armis haberet, nunquam id fugisset Lacedęmonios, qui nihil aliud in tota vita agunt, nisi vt cęteros omnes bellandi peritia & artificio superent. Nunc verò videmus omnes istos gladiatores, qui pugnatoriis armis vtuntur, ne extremis quidem pedibus audere Lacedęmonē attingere: quod vrbem illam sibi quasi adytum quoddam & sacrarium inaccessum existiment. Anacharsis autem apud Lucianū de Athenis altero Græciæ lumine loquens, sic ait, ποῦ ἐστιν ὑμῖν ὦ Σόλων τὸ γυμνάσιον τὸ ἐν τοῖς ὅπλοις; οὐ γὰρ εἶδον ἔγωγε ἐν τῇ πόλει τοιοῦτον οὐδὲν, ἅπασαν αὐτὴν ἐν κύκλῳ περιελθών.

vbi situs est apud vos, ô Solon, ludus gladiatorius? neque enim Athenis quicquam huiusmodi animaduerti, quamuis totam vrbem circumiens sæpius lustrauerim. Quibus ex locis facilè deprehenditur à veteribus Græcis gladiatoriā artem penitus reiectam & explosam fuisse. Atque huius instituti rationes plurimæ in veteribus libris reperiuntur. Primùm enim, quemadmodum Plato ait Lacedæmonij cæterique populi in Græcia bellicosi nullam illam scientiam esse arbitrabantur, sed vanum tantummodò & inutile artis & experientiæ cuiusdam simulacrum. Idque apud eundem Platonem Laches Stazilei nobilis & famosi gladiatoris exempló ostendit. Is omnium armorum scientiam & præcipuè tractandæ securis peritiam profitebatur, ac publicè glorians ostentabat. Fortè vt à quodam nauium duce ad maritimum bellum educeretur. Quumque se illis nauigantibus in cursu oneraria hostium nauis obtulisset, prædam illicò Athenienses rati, illam protinus remis velisque insequuti, & tandem assequuti sunt. Ibi contrà quàm Dux Atheniensis existimarat acerrima pugna exorta, seque hostibus strenuè defendentibus, Stazileus, quanquam, vt in re improuisa, satis attonitus, tamen ne commilitonibus artis suæ obtrectandæ occasionem præberet, securim expedire & in aduersos hostes artificiosè vibrare cœpit. At vbi vehementiùs à gladiatore in nauis hostilis.

ta-

tabulata impulsa sic penitus adhæsit & affixa est vt nullis posteà viribus, nullo conatu inde extrahi posset. Quod quum hostes animaduertissent, Stazileum pudere & periculi metu perfusum, atque in bipenni recipienda frustra laborantem, saxis lapidibusque ferire & obruere cœperunt. Statimque oneraria nauis Atheniensium triremem incitato remigio prætervecta est. Et quum securis ad huc tergo hostilis nauis penitus affixa penderet, Stazileus derisus ab omnibus & antiqua fortitudinis laude amissa euiluit. Ita ferè, vt diximus, hæc à Platone seu fabula seu historia narrata est, & gladiatorum siue lusus siue ars siue experientia facetè derisa. Præthereà Græci fortitudinem ciuium non in singulari certamine constituebant, in quo sæpe viri fortes & reipub. valdè vtiles, ab ignauis tyronibus conficiuntur, sed virtutem ea animi magnitudine, eáque constantia & arte æstimabant, quam vnusquisque in prælijs tot inspectante exercitu ostendisset: quia hac maximè ratione & ciuitatis termini proferuntur, & salua inhabitantium libertate ciuitas ipsa copiis, opibus, imperio & potentia augetur. At quum iam cornua cecinere, & ordines à militibus seruandi sunt, nemo, opinor, ignorat nullum vmbratili illi gladiatorum artificio locum relinqui; sed ab vniuersis simul quasi vno totius exercitus robore & contentione pugnari. Quòd si quis ho-

plomachiæ peritiam ad priuatas rixas obeundas ſibi non inutilem, ſed valde neceſſariam videri ait: næ is non imprudenter rem totam inueterata quadam huius ſæculi conſuetudine metititur atque æſtimat. Sed legislatores Græci imprimis operam dabāt, ne rixæ inter ciues exorirentur, aut, ſi exortæ eſſent, vt iure potius & ciuili diſceptatione, quam ferro, dirimerentur. Cumque illud ab Homero veriſſimè traditum ſcirent, *αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος*: hoc eſt, in ſæuam rapimur cædem præſentibus armis; & concitatos hominum impetus nimia gladiorum licentia exaſperari cernerent, apud illos grauiſſimis pœnis & ſuppliciis additis vetabatur, ne quis arma in publicum niſi magiſtratus iuſſu & reipub. cauſa efferet: quemadmodum hæc Solonis verba indicant apud Lucianum in dialogo, qui Anacharſis inſcribitur, *τὸ μὲν ὁπλοφορεῖν, καὶ ἀκινάκην περιεζῶσθαι, περιττὸν ἐν εἰρήνῃ οἰόμεθα εἶναι, καὶ πρόστιμόν γ' ἔστιν ὅστις ἐν ἄστει σιδηροφοροίη, μηδὲν δέον, ἢ ὅπλα ἐξενέγκοι εἰς τὸ δημόσιον*. Arma perpetuò circumferre, & acinace accinctos per vrbem ambulare, nobis in pace inutile & ſuperuacaneum videtur: pœniſque grauiſſimis mulctatur, qui palàm in ciuitate enſem gerit, aut nulla publica neceſſitate exigente ex ædibus arma commouet. Thucydides autem hiſtoriarum ſcriptor illuſtris, & dux belli non

igno-

ignobilis, in primo hiſtoriarum libro de eadem re differens, ita ſcribit: πᾶσα ἡ ἔλλας πάλαι ἐσιδηροφόρει διὰ τὰς ἀφράκτους τε οἰκήσοις, καὶ οὐκ ἀσφαλεῖς παρ᾽ ἀλλήλους ἐφόδους, καὶ ξυνήθη τὴν δίαιταν μεθ᾽ ὅπλων ἐποιήσαντο, ὥσπερ οἱ βάρβαροι. πρῶτοι δὲ ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο, καὶ ἀνειμένῃ τῇ διαίτῃ εἰς τὸ ζυφερώτερον μετέστησαν. Omnes olim Græci enſibus accincti erant, quia oppida immunita habitabant, & mutuis incurſionibus ac latrociniis aſſiduè vexabantur: ſicque illi vitam omnem degebant in armis, quemadmodum & barbari. Primi omnium Athenienſis ferrum depoſuiſſe, & leniorē atque humaniorem, quàm anteà, vitæ cultum ſumpſiſſe memorantur. Quibus ex verbis facilè intelligitur olim Græcorum & barbarorum habitum vna ea re maximè ſeparatum fuiſſe, quod barbari gladios vbique circumferrent, Græci verò in vrbibus ſine ferro pacati & palliati incederent. Scio equidē plurimos hunc morem ridiculum & ineptum, vel potius mollem & effœminatum exiſtimaturos. Nec verò nos hoc loco Sophiſtæ Phormionis æmuli, quid factu optimum ſit in re bellica diſputamus, ſed priſcarum tantūmodò gentium inſtituta, quamuis antiqua & vetuſtatis ſitu pęnè obliterata, narramus. Atque, vt ingenuè fatear, conſuetudinem huiuſmodi longè abſurdiorem putarem, niſi ex hiſto-

historia didicissem viros eos, qui arma Diis penatibus consecrabant, & nunquam ea nisi aut peregrinationis aut belli causa promebant, olim sibi armis & victoriis suis vniuersum terrarum orbem aperuisse, tandemque vetustissimum illud Persarum imperium magnis olim prçliis fractum & debilitatum funditus euertisse. Quinetiam Romani ipsi gentium omnium victores, stante adhuc & florente Republica, legem Iuliam religiose obseruabant, quç seuerissime in illum animauertebat, qui pubes in publico cum telo fuisse arguebatur. Plura in eandem sententiam scribi possent, & à nobis fortasse aliquando vberius lex illa Iulia explicabitur. Sed iam sentio me Pindarico more in Græcorum instituta & consuetudines pauló liberius digressum & euagatum. Vt igitur è diuerticulo in viam redeam, certum est Græciam antiquam militaris gloriæ cupidissimam, vna arte gladiatoria excepta, omnia corporis exercitia nuper à nobis memorata studiosissime vsurpasse. Quibus & alia non multum his dissimilia Pausanias addidit in libris Græcarum antiquitatum: quale est commentum illius, qui primus in theatrum Olympiæ prodiit à capite ad calcem graui armatura tectus, & clypeum læua appensum gerens, vt armis ita oneratus stadium simplex duplexque decurreret. Atque hunc idem Pausanias refert faustis omnium acclamationibus ex-

ceptum,

ceptum, quòd tale inuentum bellici laboris longè grauissimi imaginem expressam habere videretur. Porrò ne certamina & contentiones huiusmodi, aut temporum iniuria aut iuuentutis ignauia exolescerent, in singulis paulò amplioribus Græciæ ciuitatibus certis statisque temporibus festi dies Deorum cultui & ceremoniis consecrati agebantur, eam præcipuè ob causam, vt qui eò conuenissent adolescentes, publicis exercitiis & certaminibus obeundis robora viresque admirabiles ostentarent. Qui autem pugnando superiores euaserant in oculis ciuium, diuersis honoribus & premiis donisque afficiebantur. Atque in his singularum ciuitatum stadiis Græci adolescentes veluti posito tyrocinio, postea exercitati in quatuor illa celeberrima prodibant vniuersæ Græciæ communia, Olympiacum scilicet, Pythium, Nemeacum & Isthmium. His autem singulis Iudices præsidere consueuerant, βραβευταὶ vel ἑλλανοδίκαι nuncupati: à quibus spectata singulorum virtute victores victorumque vrbes publicis coronis exornabantur: & vt inquit Cicero, Olympionicem aut Pythionicem esse in Græcia paulò minus erat, quàm Romæ triumphare. Quoniam tamen antiqui coronarum illarum, quas diximus, vt folia, sic decus & gloriam breui fluere & marcescere videbant, statuas autem multis casibus deiici aut deteri & absumi.

fumi vetuſtate: ideo prudentes olim victores excellentium Poetarum ingenia ſibi conciliabant, vt eorum carminibus hymniſque egregiis ſempiternæ hominum memoriæ commendarentur. Talē olim Pindarus operā victoribus multis illuſtribus nauauit in Olympiis & Pythiis, quæ nos antea Latinitate donauimus. Nemea autem huiuſmodi olim originem habuiſſe dicuntur. Quum Hypſipyle Lemni regina, maribus omnibus per totam inſulam occiſis, patrem ſuum Thoantem diu in arca concluſum ſeruaſſet, tandemq; infauſta filiæ pietas emanaſſet in vulgus: Lemniades cæteræ grauiter indignatæ & Thoantem in mare demergunt, & Reginam Hypſipylem depoſcunt ad ſupplicium Quo illa audito fuga euadere conatur, ſed ſola timidè errans, à piratis littus explorantibus excepta eſt, & poſtea Lycurgo Argolicæ regionis Principi Iouiſque ſacerdoti vendita. Is captiuæ pulchritudine & genere commotus Opheltem illi filium educandum tradidit. Iam enim illa ex Iaſone Argonautarum duce geminos pepererat. Sub idem tempus fortè accidit, vt ſeptem Argolici duces cum copiis ingentibus ad Thebas obſidendas proficiſcerentur: quumque ardentiſſimo ſole per Nemeam regionem exercitus iter faceret, & fluuiis circum omnibus exſiccatis tota penè agmina ſiti enecta deficerent: celeriter duces antegreſſi, vt fluuium aliquē fon-

fontemue inueſtigarent, Hypſipylem cum alumno obuiam habuere. Illa continuò re intellecta principibus Græcis ducem ſeſe ad aquas fore pollicita eſt, & vt onere leuata celerius incederet, Opheltem puerum in gramine molliſſimo incauta depoſuit. Profecta nutrice alumnus herbam ludibundus premens floreſque deoſculans ſuauiter oblectabatur. Sed paulò pòſt anguis è latebra exiliens puerum incuſtoditum morſu exanimauit. Quo nuntio ad Lycurgum perlato mœſtiſſimus pater mortem filij indigniſſimè ferens, Hypſipylem nutricem de medio tollere cogitabat. Sed Argiui Duces beneficij accepti memores Regem meritò iraſcentem multis tandem precibus verbiſq; placauere: atque in Nemea ragione eo ipſo in loco, vbi infans ictu ſerpentis occiderat, ludos funebres inſtituerunt, qui tertio quoque anno in honorem Opheltæ ſiue Archemori extincti omni certaminum genere celebrarentur: vt patris dolorem acerbiſſimum illo ſaltem immortalis honoris ſolatio aliqua ex parte mitigarent. Sic Nemea primùm (vt accepimus) inſtituta ſunt, quorum victores à Pindaro in hoc libro numeroſis hymnis & carminibus extolluntur. Nos autem ea ipſa Latinis verſibus vtcunque explicata tibi potiſſimum dedicanda cenſuimus, Vir ampliſſime, qui quidem multorum errore neglecto humanitatis ſtudia quaſi vana & inutilia deridentium ſem-

ſemper tibi ad excellentem ingenij iudiciiq; vim adiumenta doctrinæ & eruditionis adiicienda exiſtimaſti: atque hac velu i duplici anchora vtens, prudentiſſimus gubernator, quamuis in ſummis temporum noſtrorum tempeſtatibus & fluctibus, nauim tamen reipublicæ ſaluam incolumenque præſtas, præſtabiſque in poſterum cum incredibili quadam & immortali nominis tui commendatione & gloria.

NE-

NEMEA PINDARI LATINO CARMINE REDDITA,

PER

NICOLAVM SVDORIVM,
Inquisitionum Præsidem.

ODE PRIMA, CHROMIO Aetnæo Principi Curru victoriam adepto.

Quæ incipit,

Ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφεοῦ.

Numero, quo apud Horatium,
Te maris & terræ, numeroque carentis arenæ.



RTYGIA, *Alphei requies, claris Syracusis*
Addita pars, soror inclyta Deli,
Artemidis sedes, ex te iam prodeat hymnus
Dulce sonans, qui iactet equorum
Ali-

Alipedum cursus rapidos similesque procellæ,
Aetnai recreans Iouis aures.
Me rota velocis Chromij Nemeaque corona
Admonet, vt felicibus actis
Principis impendam numeros & carmina vates:
Vtque decus virtutibus addam,
Quarum debetur superis cœlestis origo:
„ Nam diuorum munere semper
Gloria sublimes homines ad sidera tollit.
Nunc concursus apta feroces
Dicere Melpomene tenebris hanc exime terram,
Quam stellantis rector Olympi
Persephone dedit, & concusso vertice nutans,
Vberibus flauescere iussit
Messibus ante alias lætantes frugibus oras,
Turrigerumque altis caput astris
Inserere, amplexã gremio mille oppida læto
Gens vbi sumptis fulgurat armis
Assiduè, ferrumq; minax, & prælia tractat
Sæpe etiam certamine victrix
Pisæo implicitas foliis auroque coronas
Sicaniis penetralibus affert.
Multa alias cecini vera præconia voce:
Nec citharæ modò fila mouere
Displicet ante fores eius, qui celsa libenter
Hospitibus sua tecta recludit,
Mollis vbi me cœna manet, dilectaque sedes

Con-

Conuiuas assueta frequentes
Accipere externis venietes vndiq; ab oris,
Inuidia indignante maligna.
Vir bonus inuidiam domat, vt fluuialibus vndis
» *Iniectis perit igneus ardor.*
Non omnes ars vna iuuat, sed quilibet audax
» *Natura duce pergere debet,*
» *Atque iter indugredi rectum, seu robore fidat,*
» *Seu rem consilio gerat acri,*
Euentura videns animo. Tibi, victor, vtrūq;
» *Contigit, adiectaque potentes*
Diuitiæ, quas tu obscura fuge cōdere terra
» *Et proprios bona profer in vsus,*
Deinde aliis largire libēs. Sic fama paratur
» *Sic & copia rebus in arctis.*
Nam miseros inter mortales mobilis vsq;
» *Sors incertis passibus errat.*
Cū Chromi ætatemq; tuā contēplor & acta
Iam teneris ingentia in annis,
Herculis inuicti virtutē animosq; recordor,
Pieriusque animi furor ardet
Dicere nata simul perfectaq; robora magni
Alcidæ, si vera vetustas.
Fama est Alcidē simul Iphiclumq; gemello
Enixu fugisse parentis
Viscera, & ætherias cœli venisse sub auras.
Sed fratrum generosior alter
Falsiparens, mox est oculis signatus iniquis

Irata

Iratæ Iunonis, vs aureas
Ingressus cunas iacuit. Grauis ergo nouerca
Fæmineo furiata dolore
Immisit pueris geminos crudeliter angues,
Queis ædes patuere reclusæ.
Atque hi continuò thalami in penetralia lapsi
Cæruleis vincire parabant
Nexibus infantes, rapidisque absumere malis.
Sed rectum opposuit caput vnus,
Et puer in prima veniẽs discrimina pugna
Ambabus manibus, velut arcta
Forcipe, compressit tumidorum colla draconum:
Sicque elisis faucibus ater
Spiritus erumpens liuentia membra reliquit
Vitali defecta calore.
Obstupuere nurus, quibus ægra puerpera curæ.
Quin alcmena cito pede mater
Nuda thoro exiliit, sæuis vt pignora monstris
Eriperet, pestique propinquæ,
Nec non accurrere duces longo ordine Graij;
Armorum fulgore micantes.
Amphitryo imprimis stricto celer affuit ense
Tristitia confixus acuta.

Nam-

Namque omnes sua damna gemunt, alienaque nullo
„ Respiciunt incommoda luctis.
Vt vero elisos angues noua robora nati
Intuitus pater, atque retextum
Rumorem, hic totis exhorruit artubus, anceps
Lætitia mistoque timore.
Quare Tiresiam cunctis è vatibus vnum
Rectiloquo fata ore canentem
Rex ad se vocat. Ast illi Danaumque cateruis
Mox sapiens edisserit augur,
Qui puerum expectent casus, quæ monstra sit olim
Et terra domiturus & vndis.
Quendam etiam obliquo gradientem calle tyrannum
Herculea iam destinat hasta.
Adiicit & diuos quandoque gigantibus altis
Bellantes Phlegræa per arua,
Alcidae sibi iuncturos socialia tela,
Quorum effusa grandine densi.
Titanes pereant, tellusque infecta rubescat
Vulneribus sanieque suorum.
Tum canit heroi valido post mille labores,
Postque decus sudoribus emptum,
Otia portendi & tranquilla gaudia vitæ,
Non vicibus mutanda nec annis.
Tum memorat quæ sit rerũ miracula cælo
Visurus

Visurus nouus ætheris hospes:
Vtque sit in sedes illi ducenda beatas,
Inque thorum formosa Iuuenta:
Postquam hilaris sponsus Iouis intra tecta recumbens
Se dapibus satiarit Olympi.

ODE SECVNDA TIMODEMO Atheniensis Pancratiastæ.

Quæ incipit.

Ὅθεν περ καὶ ὁμηρίδαι.

Numero quo apud Horatium,
Vides vt alta stet niue candidum.



T consuentes carmina Homerida
Exordiuntur ab Ioue maximo:
Sic Atticus victor Nemæi
E spatiis Iouis atque Luco
Frondente honorum primitias tulit.
Quòd si hunc parentum laudibus æmulum
Produxit ætas, rara vt esset
Gloria Palladiis Athenis:
Illustre certè Timonoi genus
Posthac frequenter deferet Isthmios
Intecta flores, Pythiasque
Sæpe dabit Laribus coronas.

Et

Et vsque faustis palma penatibus
Accedet, alto sicut in æthere
Sectatur Orion propinquo
Sydere Pleiadas micantes.
Diuisa nuper te Salamis nouum
Sensit colonum: Victor, at hæc viros
Nutrire fortes apta tellus,
Hectori vti Phrygibusque maior
Ostendit Aiax puluere Troico,
Cui palma duri Pancratij parem
Te reddet attolletque in altum.
Cecropidum, Timodeme, robur.
Ad hac Acharnas, quæ tribus est tua,
Quis non alumnas esse ferocium
Nouit virorum? Quis ve in omni
Puluere curriculoque nescit
Semper tuorum præcipuum decus
Regnasse? fortes nam Timodemidæ
Olim quater Parnasso ab alto
Egregias rapuere palmas.
Corinthiorum iudicio virum
Octo coronis implicitum caput
Gessere: septenos honores
E Nemea retulere opaca:
Plures Athenis cùm fieret Ioui
Certamen intra mœnia Palladis.
At tu vrbs sagaci sacra Diuæ
Læta Iouem celebra tonantem,
Nomenque ciuis nuper ab extera
Ora reuersi, non sine laudibus
Donisque magnis: Ergo dulces
Funde viroq; Deoq; cantus. K ODE

ODE TERTIA ARISTOCLIDAE Aeginetæ Pancratiatæ:

Quæ incipit,

Ὦ πότνια μοῖσα μᾶτερ ἁμετέρα.



AMOENA nostri nobilis ingeni
Alumna, nunc quum se Nemeas refert
Sacerque mensis, liberalem
Oenopiam pede tange fausto,
Asopias te namque ad aquas vocat
Vocalium grex Aonius virum,
Prædulcis hymnorum architectus,
Læta choro modò, diua, præsis.
Diuersa rerum copia multiplex
Exposcit inter cætera carmine
Victoria exultante gaudet,
Atque apio redimita virtus
Versus fideles diligit asseclas,
Tu larga eorum flumina pectore
Effunde nostro, Musa quondam
Nubifero sata patre Cælo:
Ordire & hymnum, quem sociem Lyræ
Virumque claris vocibus: ac meo
Cantetur insigni labore
Vrbs mediis sita diues aruis,
Pecuniosi Myrmidones vbi
Sedere primùm. Myrmidonum genus
Non turpat infamatue segni

Natus

Natus Aristomenis iuuenta:
Nec ille sauis Pancratij ictibus
Fractus recceßit, sed decus inclytum
Salubre plagarum leuamen
E Nemea retulit profunda.
Quòd si decoris corporis artubus
Facta exequutus splendida, contigit
Sublime virtutum cacumen:
Non pelago licet ire vasto
Vltra columnas Herculis arduas,
Quas ille metam nauibus vltimam
Defixit, & diuersa ponto
Monstra manu domuit potenti.
Vtque est receßus æquoris intimos
Scrutatus heros, quatenus it ratis
Reditque: sic terrestris idem
Signa viæ posuit suprema,
Cur, Musa, littus tendis ad exterum,
Rectoquo cursu pergere desinis?
Non Herculem, quæso, sed acrem
Aeacon, Aeacidasque canta,
Aegina quorum patria nobilis.
Sermo ille, fortes laudibus affici
Qui præcipit, de fonte iusti
Perpetuo fluit atque manat.
Nec tu, merentes cùm celebras viros,
Externa quæras nomina, sed domo
Assume dicendos honores
Indigenas: prope te tuamque
Est sæpe diues materia ad manum,
Honore dulci quam Lyra garriat.

ODE TERTIA ARISTOCLIDAE Aeginetæ Pancratiatæ:

Quæ incipit,

Ὦ πότνια μοῖσα μᾶτερ ἀμετέρα.


AMOENA *nostri nobilis ingeni*
Alumna, nunc quum se Ne-
meas refert
Sacerque mensis, liberalem
Oenopiam pede tange fausto,
Asopias te namque ad aquas vocat
Vocalium grex Aonius virum,
Prædulcis hymnorum architectus,
Læta choro modò, diua, præsis.
Diuersa rerum copia multiplex
Exposcit inter cætera carmine
Victoria exultante gaudet,
Atque apio redimita virtus
Versus fideles diligit asseclas,
Tu larga eorum flumina pectore
Effunde nostro, Musa quondam
Nubifero sata patre Cælo:
Ordire & hymnum, quem sociem Lyra
Virumque claris vocibus: ac meo
Cantetur insigni labore
Vrbs mediis sita diues aruis,
Pecuniosi Myrmidones vbi
Sedere primùm. Myrmidonum genus
Non turpat infamatue segni

Natus

Natus Aristomenis iuuenta:
Nec ille sauis Pancratij ictibus
Fractus reccessit, sed decus inclytum
Salubre plagarum leuamen
E Nemea retulit profunda.
Quod si decoris corporis artubus
Facta exequutus splendida, contigit
Sublime virtutum cacumen:
Non pelago licet ire vasto
Vltra columnas Herculis arduas,
Quas ille metam nauibus vltimam
Defixit, & diuersa ponto
Monstra manu domuit potenti.
Vtque est recessus aquoris intimos
Scrutatus heros, quatenus it ratis
Reditque: sic terrestris idem
Signa via posuit suprema,
Cur, Musa, littus tendis ad exterum,
Rectoquo cursu pergere desinis?
Non Herculem, quaso, sed acrem
Aeacon, Aeacidasque canta,
Aegina quorum patria nobilis.
Sermo ille, fortes laudibus affici
Qui pracipit, de fonte iusti
Perpetuo fluit atque manat.
Nec tu, merentes cùm celebras viros,
Externa quaras nomina, sed domo
Assume dicendos honores
Indigenas: prope te tuamque
Est sape diues materia ad manum,
Honore dulci quam Lyra garriat.

Porrò vetusti facta Pelei
Laeta & adhuc speciosa florent.
Hastile Peleus sumpsit ab arbore
Graue, & ferendum nullâ alia manu:
Solusque Iolci capit vrbem
Nulla equitum peditumque turba.
Peleus amatam caelitibus Thetim
Arctis in vlnis implicuit ferox,
Ast Ilion vastauit arcus
Herculeos Telamon sequutus,
Alcida & idem sub duce ferreis
Telis coruscas strauit Amazonas:
Nec vim viri repressit vnquam
Exanimis glacies timoris,
Natiua iactant robora nobiles,
» Lucentque auitae sydere gloriae:
» Qui verò quaesitum labore
» Nomen habet, misera vel arte,
Is saepe peccans ambiguo gradu
» Vaccillat anceps, magnaque deserit
» Incaepta, felicem petitis
» Nescius imposuisse finem.
Huic multum Achilles dissimilis comam
In colla flauam fusus adhuc puer
Ingentibus praelusit ausis
Phillyridae senioris hospes:
Paruumque vibrans missile brachio
Fidente ventis acribus ocyus
Transfixit immites Leones,
Fulmineosque cecidit apros:
Ac belluarum membra calentia

Chi-

Chironi anhelis gressibus attulit,
Quum sexta tantum pusioni
Impauido rediisset aestas
Post hac ut aetas creuit, eum Dea
Suspexit audax Pallas & Artemis,
Dum rete neglecto plagisque
Vique canum celerum relicta
Ceruos fugaces assequ tur pedes,
Prensosque acuta cuspide conficit.
Sed antequam percurro Phthij
Facta ducis, catus ille Chiron
Dicendus, antri fornice qui sedens
Praecepta fortis militiae dedit
Nato Aesonis, natumque Phoebi
Edocuit medicas per artes
Tractare miti vulnera dextera.
Idem marinam coniugio Thetim
Deuinxit, enixaeque foetum
Nutriit, exacuitque ad arma:
Vt ille cani flatibus aequoris
Delatus altam viseret Ilion,
Et Dardonos mox irruentes
Exciperet, Lyciasque turmas:
Vt primus alis Aethiopum nigris
Manus feroces armaque conferens
Auerteret campis Eois
Memnona Deiphobi propinquum,
Victumque terra sterneret hospita.
Factis ab illis lux oriens adhuc
Gentem Aeaci fulgore vestit
Purpureo, bone Rex deorum.

Virum ille ſanguis nam tuus, & tuum
Certamen hoc eſt, quod decorat ſonis
Concors iuuentus, atque honorem
Cum fidibus patrium maritat.
Vox alta laudum conuenit arduo
Victori, & illi, quo tumet inſula
Aegina alumno: quoque templum
Vrbis Apollineum ſuperbit.
Quantum quis inter mille hominum greges
" Excellat, vſus experiens docet.
" Hic ciuium primus, decoris
" Cum pueris puer eſt, vir idem
Cætu in virili, cum ſenibus ſenex:
" Ac ſeſe in omnes lubricus induit
" Mortalium formas, tribuſque his
" Dotibus adiicienda quarta:
Quòd vſque lucis præterita memor
" Præſentis hora lætitiam rapit.
Amice, ſalue: en dona mellis
Mitto tibi niueique lactis.
Prædulce Naturæ hoc opus, hoc apis
Laborioſæ, roſcidus & liquor
Vterque commixtus repleuit
Pocula Pieridum ſororum.
Nec tu queraris, quod mea tardius
Inflata ventis Dorica fiſtula:
Qua nam ocior libratur ales
Præpete fulminea Tonantis?
Hac ipſa cælo ſæpe moram trahit
Incerta præda: mox vt ouilia
Deſpexit indefenſa, velox

Dilaniat

Dilaniat pedibus cruentis.
Contra loquaces gutture Graculi
Languente penna radere humum solent,
Segnesque pascuntur volucres,
Opprobrium nemoris virentis.
His nostra dispar Musa tuum caput
Fulgere dicet, sydus vt auream
Asclepij Phœbea ab vrbe
Et Megaris Nemeaque victor.

ODE QVARTA TIMASARCHO Aeginetæ Luctatori:

Quæ incipit,

Ἄριστος εὐφροσύνα πόνων κεκριμένων ἰατρός..

Nnumero quo apud Horatium,
Iam satis terris niuis atquæ diræ.

„ CARMEN *ærumnis grauibus medetur,*
„ *Ac modi Musæ genitrice nati*
„ *Vulnera & sæuos hominum dolores.*
„ *Leniter vngunt.*
„ *Non aqua sic vis liquida, & tepescens*
„ *Balneum athletæ recreat lacertos*
Ictibus fessos, vti vox loquuta

 Cum

„ *Cum fide dulci,*
„ *Lausque perdurans memores in annos*
„ *Dicta nam viuunt animata factis*
„ *Longius, si quæ sacra lingua ab alto*
„ *Pectore duxit.*
„ *Suaui & aspersit Charitum liquore.*
Primus hic pulsus cithara Tonantem
Et Timasarchum Nemeamque grato
Murmure tangat.
Nosque psallentes adamet probetque
Aeaci tellus redimita ponto,
Lumen externis procul hospitali
Littore monstrans.
Quod si adhuc, victor generose, qui te
Edidit, Solis radiis caleret,
Sæpe discurrens vario sonantes
Pollice chordas:
Protinus nostræ numeris Thaliæ
Totus accliuis simili feriret
Barbiton plectro pater, inque fili
Iret honores.
Nec Cleonææs pateretur eius
Laureas æuo fugiente carpi:
Nec coronarum decus Atticarum
Aequore mergi:
Dona nec Thebis data septiportis.
Namque vbi claro tegitur sepulchro
Natus Iphicli, placida & re postus
Sede quiescit:
Hic libens te plebs hilarisque nimbo
Obruit florum, Timasarche, dulcem

Propter

Propter Aeginam, patriæ & tulisti
Munera ciuis
Gratus in cœtus veniens amicos,
Quando lustrasti socialis vrbis
Mœnia, & lata es spatiatus aula
Herculis alti.
Quem ducem fortis Telamon sequutus
Ilium fertur populatus, atque
Corpore immanem manibusque sæuum
Alcyonea.
Sed prius terra satus ille bis sex
Contudit saxo feriente currus,
Bisque victores totidem tremendo
Perculit ictu:
Hectoris quamuis comites, Deumque
Filij audaces steterant in armis.
Inscius belli, mea dicta tarda
Qui capit aure:
Quiue miratur titubasse prima
Cœpta victoris, veterum vt virorum:
„ *Magna patrantes aliquid sinistri*
„ *Ferre necesse est.*
Dicerem casus similesque pugnas
Fortis Alcidæ, sed enim grauis me
Dicta lex arctat, properans & hymnum
Hora reposcit.
Ac ratis quanquam mea iam relicto
Littore incedat medios per æstus:
Mens tamen festi sacra læta mensis
Tangere gestit.
Pindare, egressus fuge, deuiosque

Tramites vitæ; tua ne quis hostis
Carmina occultè premat, vtque multa
Luce decorus
Aemuli supra caput ire possis,
Qui, malum gestans oculis venenum,
Versat infelix humiles in atro
Puluere curas.
At tibi quam vim dedit & canendi
Gloriam Phœbus, dominansque fatum,
Astra firmabunt, veniensque in æuum
Sanciet ætas.
Musa quamprimùm digitis lyraque
Lydium blandè resonante in vsum
Diuide Aeginæ placitura verba,
Grataque Cypro.
Quam satus magno Telamone Teucer
Rexit: At portum Salaminis Aiax:
Insulam Euxini maris albicantem,
Flauus Achilles:
Imperat Phthiæ Thetis aucta templis:
Pyrrhus Epirum viridem tuetur,
Pascui montes vbi celsa dorso
Nubila pulsant.
Hincque Dodonam, maria inde tangunt,
Pelij radix nemorosa montis
Bellicis Pelei manibus subactam
Vicit Iolcum,
Thessala & iunctam violenter oræ:
Aeaco postquam patrę natus heros
Crimen est stupri graue passus insons
Iudice falsa.

Con-

Coniuge Acasti : neque fraus marito
Defuit, qui mox in opaca sylua
Lustra deductum iuuenem cruentis
Tradidit Vrsis :
Ni senex Chiron repulisset acres
Belluas iniusti odij ministras,
Quaeque descendunt rutilante ab aethra
Fata fugasset.
Postea Peleus neque victus igni,
Vngue nec saeuo rapidi Leonis
Territus, cum se Thetis in figuras
Mille nouaret,
Sed fera morsus auidos coercens
In suos artus vitream redegit
Aequoris nympham, vir vti marinae
Naiadis esset.
Visaque est illi radiante luce
Connubi sedes eboris rotunda,
Qua Dij caeli & maris accubantes
Dona dedere.
Vimque sponsorum generi futuro
Vsque mansuram, armigerumque robur.
„ *Sufficit nautis penitus remotas*
„ *Visere Gades :*
„ *Caeca nox vltra est, tenebraeque densa,*
„ *Quas licet nullis penetrare remis.*
Clio, in Europam celeris reflecte
Vela carinae.
Nam quis exhaustos memoret labores
Aeaci natis, alacresque pugnas
Mille pugnatas? numerus canentem

 Obruit

Obruit ingens
Me Theandridis, genus vnde ducis
Patrium, victor, Nemea, Corintho,
Elidi notis facilem dedere
Numina vatem.
Iure nam ternis stadiis Theandri
Sæpe luctata est soboles, nec vnquam
Fronde victrici spoliata vidit
Mœsta Penates.
Hinc virum quæ te dedit alma tellus
Cæteras sese super eminenti
Vertice attolit, resonatque multa
Laude suorum.
Nec patris tantum celebris propago:
Sed si adhuc me vis Timasarche fratri
Matris inuicto manibus columnam
Ponere rectam,
Quæ Paro excisos lapides nitore
Vincat. en dextra est operi parata,
Ignis excocto rutilum decorem
Adiicit auro.
Hymnus exornans animosa facta, &
„ *Fortis athletæ iuuenile robur,*
„ *Illius clarum genium supremis*
„ *Regibus æquat,*
Ergo Callicles decus ille gentis
Grande materna, modò functus æuo
Pindari dulces numeros sub imis
Audiat vmbris.
Ipse & applaudat sibi, quòd superstes
Luce Neptuni redeunte sacra

Post

Post graues pugnas apio ligarit
Tempora viuo,
Hic vbi duplex mare rumpit Isthmos
Euphanes; credo hunc etiam beatis
Manibus iunctus memor antè vitæ
Concinet vltro.
Et senem canus referet poeta,
Vt pares annis decorat iuuentus
Læta sub densis nemorum viretis
Elysiorum.
,, *Quisque res visas sibi cantat audax,*
,, *Et libens notos loquitur triumphos:*
Sic Timasarchi celebrans aliptem
Melesiam quis
Æmulæ spernat maledicta linguæ:
Ille non solum iuuenes oliuo
Doctus inducit, stadiique certa
Erudit arte:
Verùm adhuc sermone potens in aptum
Verba contorquet redigitque gyrum,
Nescius vinci, violensque iniquis,
Lenis amicis.

ODE

ODE QVINTA PYTHEAE Lamponis fil. Pancratiastæ.

Quæ incipit,

Οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμι.

Numero quo apud Horatium,
Mæcenas atauis.



ON sum pictor ego, nec statuarius,
Qui lentis manibus cudere imagines
Torpentes soleam, signaque nescia
Emigrare domus postibus aureis:
Sed sum Pierij carminis artifex.
Ergo, Musa, citis nauibus & scaphis
E curuo Oenopia littore prouola,
In quascunque plagas, ac Pytheam refer
Lamponis sobolem pancratio graui
Certasse in Nemea gramine, & ardua
Deuinxisse nouis tempora frondibus.
Vix illi puero vernat adhuc gena
Primo flore virens roboris indice:
Et iam belligeros Aeacidas Ioue,
Saturno & vitreis virginibus maris
Prognatos decorat, nec patriam minus
Tellurem hospitiis dulcibus inclytam:
Quàm post lethiferi diluuium aeris,
Pallentesque animas vulgi Erebo datas,
Im-

Implerunt populo Myrmidonum nouo
Peleus & Telamon, & prope littora
Phocus cærulea progenitus Dea.
Aspexit que libens Hellanius pater
Diuorum vnanimes tres sibi supplices
Tollentes liquidum brachia in æthera:
Decantare pudet posterius nefas
Commissum Aeaciis fratribus, & pij
Dextras immemores, vtque domestica
Tincti cæde duo tecta reliquerint:
Et quæ sors validos expulerit duces
Felici Oenopia, prætereo sciens.
Non semper faciem splendida veritas
Pictit vtilior. sæpe tacentium
Muto consilio nil sapientius.
At seu quæris opes cælitus additas
Magnis Aeacidis, siue ferociam,
Seu pugnata manu prælia ferrea
Audire: hic mihi tu, quæso, patentius
Designa spatium, quod supra euolem
In saltus agilis: non aquila ocyor
Et terras humiles & mare præterit.
Ne solus veterem concelebro domum:
Hanc olim vmbriferi vertice Pelij
Formosus cecinit Pegasidum chorus:
Inter cælicolas quum medius gregi
Praeesset virgineo Cynthius & Lyram
Plectro septifidem tangeret aureo.
Sed tum Pierides ab Iouis ignibus
Exorsæ & vetito Nereidis thoro,
Ipsam deinde oculis sydereant Thetim
Dixere,

Dixere, & validum Pelea, carmini
Addentes vt eum cælitibus parem
Cretheis Veneris vulnere saucia
Regina Hippolyte quæsierit suis
Irretire dolis exitialibus:
Quum iam fœmineis coniugis artibus
Acasti leuitas inscia crederet
Tentatum thalami fœdus ab hospite,
Pollutamque fidem: sed pius aduena,
Ipsa infida viro: quæ miseras preces
Toto sæpe animo fuderat, vt metu
Cunctantem iuuenem solueret impudens
Ast hunc lingua sono læserat aspera.
Quare infanda semel gaudia respuit,
Telo vltore Iouis territus hospitis,
Quod summo ille videns lætus ab æthere
Regnator superum nimbipotens Deus
Poscentis meritis commodus annuit
Vnam è Nereidum stirpe natantium.
Cui sponsus niueum consereret latus.
Nec fratris placitis durior obstitit
Canus cærulei gurgitis arbiter,
Aegarum è viridi margine qui frequens
Isthmi littus adit nobile Dorici:
In quo illum iuuenum pompa decentium
Gaudentem ad calamos excipit obuia,
Et certamine mox exuitur sacro
Depugnare animis prompta virilibus,
" *Euentum & dubios dirigit exitus*
" *Athletis data sors protinus editis.*
Tu verò Euthymenes diti Ephyra procul

Qua

Qua natale solum ridet, adorea
Victricis recubans molliter in sinu,
Gustasti Aonidum munera suauium.
Post te floret adhuc palmifer & tibi
Coniunctus Pytheas matris origine,
Communesque beat pancratio lares.
Hunc vallis Nemeæ nouit, & additus
Fastis Oenopiæ Delfinius sacer
Mensis, laurigero gratus Apollini.
Hic ætate pares sæpius & domi
Et Nisi aerio perdomuit iugo
„ Illustris Megaris. gaudeo pluribus
„ Virtutum statui præmia in vrbibus,
Queis inuicte fruens læta molestiis
Compensata tenes nobilis Attici
Menandri auxilio. Cecropidam decet
Fortem exerciis praeesse virilibus.
Quod si fortè senis facta Themistij
Cantaturus ades, quo Pytheas auo
Exultat genitus, ne rigeat tibi
Pigro lingua gelu, verba sed effluant
Densæ more niuis, velaque in arduum
Malum elata Notis trade fauentibus
Dic illum nitidas vrbe Epidauria
Bis ornasse comas, & pugilem & truci
Vsum pancratio. Dic vt ab Aeaci
Templo retulerit serta virentia
Felix, auricomis non sine Gratiis.

ODE SEXTA ALCIMIDAE Aeginetæ Puero luctatori

Quæ incipit.

Ἓν ἀνδρῶν θεῶν γένος.

Numero quo apud Horatium,
Scriberis Vario fortis vt hostium.

,, *GENS est vna virum, gens quo-*
,, *que cælitum*
,, *Terra vtrosque suis mater*
,, *alit bonis:*
,, *Sed diuis homines robore dispares*
,, *Momento pereunt breui.*
Cæli ærata rigent claustra perenniter,
,, *Aeternique manent illius incolæ:*
,, *Queis nos ingenij grastis acumine*
,, *Vel forma similes sumus.*
Quamuis nec tenebris cuncta tegentibus,
,, *Nec quum Sol medio lucidus æthere,*
,, *Scimus quam Lachesis nos velit vltimã*
,, *Vitæ tangere lineam,*
Incertos dubiæ sortis & exitus,
,, *Cognatos superis cæterà. testis est*
Dictorum Alcimidas, qui genitus domo
Campis vberibus pari.
Vt nunc lætus ager messibus annuis
,, *Implet ruricolis horrea, nunc iacet*
,, *Intactus valido vomere, dum quies*
Effæ-

Effætum [illegible]cit solum:
Sic sese Alcimidæ continuit parens
Expers gymnasij, filius acrior
Frondosis Nemeæ vallibus exiit
Luctatu celebris puer.
Atque hanc accipiens ab Ioue gloriam
Firmis enituit corporis artubus,
Indefessus auum signla subsequi
Per vestigia nobilem.
Namque is Praxidamas primus Olympia
Decerptas oleas attulit Aeaco,
Ornauitque sibi tempora quinquies
Claris frondibus Isthmiis,
Ter viuax apium crinibus addidit
Tinctis in Nemea: sicque nigrantibus
Ereptum tenebris atque silentio
Soclidæ patrium caput,
Tot nati meritis: queis similes duo
Fratres palmiferi laudis in arduum
Conscendere iugum, membraq; publicis
Impendere laboribus.
Nec castus gemini pugna aliam domum
Palmarum dominam reddidit omnium,
Quas intra Danaum concaua mœnia
Bellantum potior rapit.
Spes me magna tenet, grandia si loqui
Atque excelsa queam, non procul à scopo
Delapsura mihi tela sonantia.
Quare arcum cape Pieri,
Et Victoris auros missilibus feri:
Nec gentem stadio vincere strenuam
Vn-

Vnquam nobilium flamina carminum
Aspirantia deserant.
Et vinctis numeris & pede libero
Scribendi artifices magnanimum virum
Res gestas memorant, factaque mortuũ
Crebris laudibus efferunt.
Quos inter veteres, victor, aui tui
Bassidæ haud celebris nominis indigent:
Priuatum sedenim suppeditant decus
Nautis Pieridum vagis,
Quod longum celeres per mare deuehant.
Iam primum religans brachia Callias
Loris ossifragis contudit æmulos
Festo Pythiados die,
Dictynnæ & Clario gratus Apollini.
Idem inter iuuenum noctiuagos choros
Fulgens emicuit Castaliam prope
Musis dulce sonantibus.
Quáq; Isthmus gemino tunditur æquore
Lucum cærulei Nereidum patris
Ornauit, pecorum mille greges sacro
Occidente triennio.
Nec non illi apij serta virentia
Deuinxere comas, hic vbi trux Leo
Alcidæ domitus frondifera iugi
Sub radice Philasij.
Aeginæ seges est ampla vigentibus
Scriptorum ingeniis, atque ferax solum,
Virtutum sed enim Parca virum gregi
Natos eximit Aeaci:
Hiper multa suæ signa potentiæ
Mon-

Monstrauere, & adhuc aerij super
Terras frugiferas & super aequora
Famae remigio volant.
Nigras Aethiopum quinetiam domos
Rumor belligeri nominis attigit,
Quum fortē Aeacides Memnona cuspide
Irata petiit furens.
Excussitque citis sanguineum rotis
In terram calido puluere sordidam.
Trita est haec aliis orbita, quos ego
Cura peruigili sequor.
» *Quanquam grata magis facta recentia*
» *Quam prisca alterius praelia saeculi,*
» *Vt non praeteritus, sed veniens mouet*
» *Fluctus pectora nautae,*
Quare audax humeris tollo volentibus
Duplex illud onus, quod mihi nuntio
Imponunt simul vrbs & genus Aeaci
Immoto Alcimidas gradu.
Huic vigesima nunc quintaque gloria
Quaesita est proauum laudibus aemulo.
Vni nam generi tot decora inclyta
Sacris parta laboribus.
Quin nuper pueros inter amabiles
Luctanti Alcimidae, nec Timidae minus
Cognato, celebrem Palladis arborem
Porrexisset Olympias.
Quinquennis rediens in Chronij iuga:
Ambos ni celeri barba nimis pilo
Exclusisset ea sorte, virilibus
Vltro coetibus inserens.

Tantum

Tantum Melesias præcipiens valet,
Qui delphine cito promptior erudit
Informatque suos, brachiaque & manus
Auriga similis regit.

ODE SEPTIMA SOGENI
Aeginetæ puero pentathlo.
cuius initium est,

Ἐλείθυια πάρεδρος μοιρᾶν βαθυφρόνων.

Numero quo apud Horatium,
Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas.



LITHYA grauis Iunonis filia & vsque
Tribus seueris assidens Parcis comes,
Prima parens hominum, sine te non lumina Phœbi,
Non astra noctis vagientes cernimus:
Matura per te duramus membra iuuenta,
Auraque eadem differentes vescimur
Mortales, animis diuersa capessere nati.
Tu, diua, charum Thearioni Sogenem
Largita es, sobolem iam desperante senecta.
At nunc Parenti redditus cano puer
Ingens nomen habet, caniturque per oppida victor
Disco, sagitta, saltibus, lucta, fuga.
Non honor hic toties cantata mirus in vrbe,
Qua

Quæ culta magnis Aeaci nepotibus.
Aacidæ ingentes æquant virtute labores,
Nec pectus infra prælij ærumnas gerunt
Quum quis opus manuum palma victrice coronat,
Occasionem dat canendi dulcium
Vocibus Aonidum puro manantibus ore.
Vires feroces Thracia indicta lyra
Obscuro circum nebulæ funduntur amictu.
Nec facta viuunt prælantium fortia,
Ni claro veluti in speculo, per carmina lucent.
Obliuionem discuit sola inuidam
Mnemosyne, versusq́ Orco prosoluit auaro
Virun redemptis glorians laboribus,
Sudo nauta breui sapiēs diffidit, & austros
Tribus diebus antè solers præuidet.
Diues inopsque simul tenebrosa ad busta feruntur,
Et absq́ Musa conditi æternum latent.
Maiorē ipse reor fama, quàm rebus Vlyssē
Debere Homeri Gratijs longum decus.
Namq́ agilis ficto mendacia pingit honore
Vates, & aures fabulosus imbuit,
Elusos ducens animos quocumq́ libido est:
Vt sæpe vulgi cæca sunt præcordia.
Nam si vera oculi semper manifesta viderent,
Non iudicantum cœtus Argiuum leuis
Magnanimo Aiaci Phthij ducis arma negasset,

Nec

Nec verberasset cuspide obliqua latus,
Pelida excepto fortissimus vnus Achiuum,
Qui flauam Atridæ redditurus coniugẽ
Vectꝰ erat celeri ruitura ad Pergama puppe
Ventorum & auris acriter spirantibus.
Verũ homines leti tempestas obruit omnes,
,, *Inq; antra Ditis clari & obscuri cadũt.*
Hi post fata vagi volitant rumore secũdo,
,, *Quorum Thalia molle nomen educat.*
Fama Neoptolemi talis, nec læsa nec vnquam
Petita nobis insolenta carmine
Ille hostis Priami versam post Ilion, almæ
Terræ vmbilicum venit vndoso mari,
Phœbea tumulũ Delphis habiturus in æde.
Namque vt peractus longus Argiuum labor,
In diuersa alij nigris abiere carinis:
Pyrrhus reiectus Scyro ab imbelli procul
Fluctibus aduersis Thesprotia cõtigit arua,
Rexitque opimam non diu Molossiam.
Immortale tamẽ terræ decus addidit heros
Et inde templum est Phthij aduectus Dei,
Vt Troiana tholo victor suspenderet arma.
Atque hic cruentam donec hostiam trahunt
Rixantes, hinc sacrificus, dux inde Pelasgum:
Manu imbecilli concidit ferocior.
Iucundi hospitibus Delphi gemuere cadentem,

Fatale

Fatale sed Vir debitum persoluerat.
Præterea Aeacidam Parcæ voluere tyrannū
Iacere luco Phthij veterrimo,
Aeternamq; Dei probe limina figere sedem.
Deinde hic manere debuit perenniter
Excubitor fidus, sacra qui pompasque frequentes
Duci Videret inclytis heroibus.
Hæc mihi causa triplex insignis reddita leti
Intemperantis eluet linguæ notam.
Non Aegina grauis venturum testis in æuū
Iouis tuisque deerit abnepotibus,
Me laudes celebres illorum & facta canente:
Opus tametsi est nil pauentis ingeni,
Héroum externam virtutibus addere lucem
Quorum refulget sat domesticum iubar.
Hactĕus Aeacidas cecini, requiescere gratū.
„ Sermone in omni mella nō semper iuuant
Nec semper dulce est Veneris decerpere flores.
„ Porro futuri dispares in æthera
Prodimus liquidum, primaque ab origine cuncti
„ Vel læta sorte ducimus, Vel tristia.
Nullus opes omnes atq; omnia cōmoda vitæ
„ Simul beatus diuite includit sinu.
Aut si sors alicui felix, mutabilis illa est
„ Labentis æui summam adusque lineam.
At tibi Thearion successum fata dedere,
Humana quem fert maximum beatitas.

Tu fidens animi præclara viriliter audes
Nec mente in altis deficis conatibus.
Nõ velutiinter se carpunt se mutuà ciues:
„ Sic hospitem me liuor ater inficit:
Sed nostris crescit numeris ita nomẽ amici
„ Vt prata riuis germinant virentia.
Quippe bonis insignis honor iustissima merces:
Hac non Achillis filium fraudauimus:
Nec posthac, credo, Ionij vetus accola ponti
Mea insolentis arguet pulsum Lyra.
Fidimus hospitio cognatæ gentis Achiuæ,
Nostros & inter gratiosi viuimus.
Quos omnes oculis iuuat aspectare benignis,
Tædetque vis & tristis insolentia.
Sic vlnã reliqui serpant mihi leniter anni
Vatemque quisquis nouerit me candidum,
Legitimi fines neget excessisse pudoris
Heroa nigra poluentem fabula.
Sed satis est fines extra mea Musa vagata
Nunc, chare, iuro, Sogenes, non amplius
Me temere in ventos missurum audacia verba.
Vt tela fixo decidunt longè à scopo.
Tu prius in medium quam sol se tolleret axem,
Notamque athletis candidis inureret:
E stadio felix existi corpore sicco,
Labore inani plurimis sudantibus.

Aut si es durum aliquid passus certamine quino,
Leue id sequuta redditum victoria.
Cor, sine me densas victori ferre coronas
Ioque acuta voce longum tollere.
Si fuero quid fortè tumens grauidumque loquutus,
Remissiore lenia effabor sono.
Musa mihi cōiungit ebur fuluūq; mettallū
Coralinumque cœrulo exemptum mari.
Me modo non vno chordas impellere motu
Decet Nemeai facta dicentem Iouis.
Aegina in media fas est celebrare Tonantē
Lyra caducum nil sonante Doria.
Iuppiter hic etenim nympha complexibus hærens
Blandis in vlnis seminauit Aeacum,
Qui fuit Oenopiæ custos & frater & hospes
Fidus manētis Sogenem prope Herculis.
Quod si homo sæpe homini prodest semotus & absens,
,, Quantū virū vir adiuuat propinquior?
Atque idem studiis animoque intentus amicus:
,, Quàm sacra Diuum est vtilis vicinia?
Alcida domitor debellatorque ferarum,
Cum patre teque diuitis templa incola
Victor ouans auum traducere leniter optat,
Auumque mores liberales insequi
Hac felice via, quam signauere priores,
Currus vt inter ligna temonem locant,

Sic Ioue nate tui luci nemus inter opacum
Dextra & sinistra Sogenis tectum viret.
Diue tuum est Regemque Deum sociamque Tonantis
Placare amicis, castamque Pallada.
Tu potes ærumnas & ineluctabile fatum
Auertere ægris prouidus mortalibus.
Per te vtinam status amborum natique patrisque
Immotus vsque duret, & postquam semel
Victori viridis læto pede fugerit ætas,
Honore multo cana fulgeat coma:
Præterea illorum nati serique nepotes
Sacrorum auita gaudeant custodia.
Semper & antiquo decori decus insuper addant.
At nostra nunquam Pieris fatebitur
Se genus Aeacidæ dictis lacerasse malignis.
" Sed res easdem sæpius reuoluere
Infantis stupidique viri est, imitantis & illam
" Iouis Corinthon ore futilem leui.


ODE

ODE OCTAVA DINIAE MEGAE Filio cursori.

Quæ incipit,

Ὦρα πότνια, κᾶρυξ Ἀφροδίτας.

Numero quo apud Horatium,
Iam satis terris niuis atque diræ.



ANCTE *formarum decor, & Venustas,*
Nuntia amplexus iuuenum propinqui,
Quæ genas vultusque vtriusque sexus
Incolis alma:
Quæ faues illi facilis, manumque
Porrigis fatali in amoris æstu,
Alterum tristem crucias, & à te
Dura repellis.
Optimum est blandæ Veneris sequacem
Non leui affectu dubium vagari,
Sed statim lecto eximioque amorum
Flore fruisci.
Talis Æginæ thalamus Iouisque,
Quem celer pennis adiit Cupido,
Dulcibus sponsis teneræ Diones
Munera partans,
Vnde sublimis velut arbor olim
Æacus creuit dominator hasta
Atque Consultis bonus, & videntum

Gratus ocellis.
Quin & hercum manus accolarum
Flosque viuentum Danais in oris
Illius prudens subiit volensque
Mollia iussa.
Huic Athenarum lapidosa rupes
Militum ingenti numero referta,
Et colens Spartam Pelopis propago
Paruit vltro.
Ritè nunc supplex genibus verendis
Aeaci aduoluor, stabili vt quietem
Donet Aegina, propriisque seruet
Arua colonis.
Lydiam & mitram simul ecce porto
Carminum misto variam col:re,
Diniæ ob cursus duplices Megæque
Ante sepulti.
Gloriam tantam cineri parentis
Filio & viuo Nemeaus affert
Iuppiter. Nam res & opes manentes
„ Numina donant.
Regiis olim Cinyram replerunt
Copiis Diui maris inter vndas,
Aurea in Cypro. Mihi mos priusquam
Ore resoluam,
Crebra respirare, graduque firmo
Niti, vt ingentem superem laborem.
„ Multa nam prisci cecinere: nobis
„ Pauca relicta:
Et noui si quid referas, virumque
Auribus tradas, rigidaque lima:
Mil-

Mille te expectant dubium pericla
Dulcis honoris.
„ *Adde quod fœtu tenero recentis*
„ *Ingeni liuor macer implet aluum,*
„ *Liuor offendens meliora, prauis*
„ *Rebus amicus.*
Ille & Aiacem Telamone natum
Vnguibus raptim lanians aduncis
Figere iratum proprio coegit
Pectora ferro.
„ *Sæpe vir magnis animis, sed infans,*
„ *Lite vecordi superatur, atque*
Vana fingenti, variaque dantur
Præmia linguæ.
Calculis sic vos tacitis Pelasgi
Sisyphi prolem decorastis hasta
Peliæ, & rector Salaminis Orco
Mersus inermis.
Attamen dispar viguit duorum
Dextra, nec plagas similes vterque
Intulit scindens inimica multo
Vulnere terga:
Seu recens cæsum madidumque Achillis
Corpus efferrent medios per hostes,
Siue eis pugnas alias pararet
Mortifer annus.
Ergo non tantum mea cæcus error
Sæcula inuoluit, sed & eminentes
Inter heroas habitauit olim
Liuida pestis.
„ *Dulcibus verbis sociata, fraudis*

„ Subdola consors, scelerum architecta,
„ Clara quæ abscondit, tenebrosa tempus
„ In breue clarat.
„ Iuppiter, tali mihi vita labe
„ Pura decurrat spatiis apertis,
„ Lenium morum tumulatus vt sim
„ Gloria natis.
Hi petunt votis graue pondus auri,
Illi agros lato gremio patentes:
At mihi detur populi fauentis
Gratia constans.
Detur immensa benefacta laude
Tollere, & culpas agitare semper
Tristibus dictis, humus atra donec
Vestiat artus.
„ Planta vti verno satiata rore
„ Crescit assurgens tenues in auras:
„ Sic virum virtus decorata cælo
„ Tollitur ingens:
„ Cantu & augentur speciosa facta.
Gentis humanæ sedenim laborum
Prima sors, quorum celebri in theatro
Græcia testis.
Porro vbi læti resonant triumphi,
Plena non mentes hilarat voluptas,
Res nisi præsens cupida audientum
Lumina pascat.
O Mega, sed te tamen excitare
Mortuum, aut manes animare mutos
Iamnefas, & spes nimias inanis
Exitus angit.

At tua possum tribuique & Vrbi
Ponere hanc Phœbi niueam columnam,
Quæ tuos cursus Volucrisque nati
Signet honores.
Gaudeo quando merita alta nostri
Carminis fastus generosus æquat.
Carmen & morbos abigit nocentes
Voce susurra.
Certè apud priscos Viguit Thalia
Inter annosi calices Lyæi,
Antequam Thebas numerosus hostis
Cingeret armis.

ODE NONA CHROMIO PRINCIPI
Aethnæo curru victoriam adepto.

Cuius initium est,

Κωμάσομεν παρ' Ἀπόλλωνος.

Numero quo apud Horatium,
Scriberis Vario fortis & hostium.


HARAE *Pegasides è Sicyonia*
Tellure atque adyto læuis Apollinis,
Mecum Aethnam lapidum mole recentium
Constructam petite, & domum
Felicis Chromij, cuius hiant fores

Vtrinque, & faciles ingredientibus
Cedunt hospitibus., sed precor in via
Hymnum texite virgines
Namq; olim Chromius pulvereas rotas
Convertens spatiis in Sicyoniis
Latonam attonitam reddidit, & duos
Delphorum vigiles Deos.
Rectè vox hominum publica nos vetat
Consummata virum robora fortium
Telluris tenebris contegere, & nigro
Obscurare silentio.
„ Nec quicquam numeris dulcibus aptius
„ Quàm versus Lyrici grata superbia.
Quare nunc cithara fila sonantia
Et dulcis flamina fistulæ
Impendamus equum cursibus alitum,
Cantemusque hilares inclyta Pythia
Adrasti auspiciis condita Delio
Asopum prope nobilem.
Adrastus variis dignus honoribus,
Qui terræ dominus tunc Sicyoniæ
Mensis suauibus & curribus aureis
Et lecta pugilum manu
Ornauit profugus hospita mœnia.
Namq; hunc Amphiara consiliū ferox
Et belli rabies sæua domestici
Natali expulerat solo.
Iamque Argis Talai desierat genus
Regnare., & gladiis cesserat hosticis.
„ Verum dissidiis protinus vtilem
„ Imponit sapiens modum.

Ergo

Ergo qui patriam fugerat & manus
Vatis belligeri, mox stolidum sibi
Hostem letiferis iungit amoribus.
Germanaque thoro implicans:
Ficto coniugij pignore decipit.
Sic illi solium sceptraque reddita
Inter flauicomos Graiugenas, quibus
Dux belli fuit impiger
Ad Thebas veteres: quanquam auibus malis,
Et quanquam iaciens fulmina Iuppiter
Signa infausta daret prosilientibus
Densis agminibus foras.
Suaderetque via parcere noxia.
Sed praceps populus non dubitabilem
Vltro in perniciem proruit: & pedes
Armis splendidus aneis,
Et nubes glomerans puluereas eques.
Postque Ismene pater qua liquidus fluis:
Spem dulcis reditus Argolis exuit
Pubes funere lurido,
Et combusta virum corpora fortium
Fœdarunt nebulis athera pinguibus.
Nā quot porta inerant mœnibus Ogygis
Tot structa iuuenum pyra.
At vatem Argolicum Rex superum pətēs
Tellurem validis diffidit ignibus,
Aurigamque & equos & celeres rotas
Mersit terribili specu:
Ne Periclymenus fortis aruspicis
Conuersos humeros caderet insolens,

Pugnaceſque animos frangeret hoſticis
Aſſueto ſpoliis viro.
" *Quando immiſſus enim cælitus eſt timor*
" *Armatis, ſoboles ipſa Deum fugit.*
" *Verum Argiuus honos & dolor hactenus.*
Nunc te, ſumme Deum, precor
Terris Sicaniis vt procul, vt procul
Afrum ſubmoueas, ſignaque Punica,
Haſtataſque manus, quæ Siculis graues
De vita aut nece dimicant.
Pax, quæſo, & requies, & Themis & fides
Miſtis deliciis ſuauibus & iocis
Rura Aethnææ colant. Iuppiter, his tibi
Campis multi equites boni
Flectunt cornipedes, multi animos gerunt
Immenſis opibus cedere neſcios.
" *Mirum: ſæpe etenim clam pudor innocẽs*
" *Quæſtu vincitur impio.*
Tu quiſquis Chromio ſub duce militas
Clamoſis peditum nubibus additus,
Aut turmis equitum ſæua frementium,
Aut cuſtos ratis armiger,
Martis præcipitis cæca pericula
Expendis ſapiens. Nam Deus huic viro
Pectus belligerum finxit, & impigrum
Vim propellere noxiam.
Pauci illi ſimiles, qui nebulam queant
Nigrantem interitus iam ſibi proximi
Bellantum oppoſitos vertere in ordines
Freti conſilio & manu.
Qualis Dardanidæ floruit Hectoris
Vir-

Virtus, lenis vbi Xanthus humum rigat :
Talem te puerum Marticolam Chromi
Lux circumdedit aurea
Elori ad viridem fluminis aggerem.
Nec te post alio tempore gloria
Victrix deseruit prælia nunc solo
Tractantem fera, nunc mari.
E belli dubiis mille laboribus
Susceptis homini, dum genibus viret,
Aeui consequitur Martia dignitas
Canos splendida ad vltimos.
Hæc te certa manet, dux noua præmia
Sortite egregio munere cælitum :
„ *Nam qui diuitas atque potentiam*
„ *Laudi copulat integræ,*
„ *Mortalis genitus vlterius nequit*
„ *Eniti gradiens culmen in arduum.*
Porro vt mensa senum pacis amabilem
Fructum sobria diligit :
Sic victrix iuuenum palma ferocium
Lætatur fremitu, cantibus & modis,
Quorum spiritus est maior, vbi dapum
Regina assidet amphora.
Hanc imple, puer, & deinde merũ potẽs
Dulci vte satum funde capacibus
Argenti pateris, quas laribus Chromi
Olim pennipedes equæ
Miseru nt spatiis è Sicyoniis
Phœbæa viridi non sine Laurea :
Iamque, ò sume Deum, iure superbiens
Læto pectore glorior.

Im-

Impletum esse mihi vocibus aera
Concentuque hilari, donec adoreas
Illustres celebro, dumque sagittifer
Musarum ferio scopum.

ODE DECIMA THIAEO VLIAE Filio Luctatori:

Quæ incipit,
Δαναῦ πόλιον.
Numero quo apud Horatium,
Vides vt alta stet niue candidum.



RBEM vetustam, quæ Danao patri
Regnata quondam, nota vbi Belides
Nupsere cognatis, sacrosque
Iuno libens posuit Penates,
Argos, venusta dicite Gratiæ.
Hæc mille sedes fulgida honoribus
Plures ob audaces alumnos
Et genus impauidum superbit.
Cantare longum est Persea strenuum
Collum minacis cædere Gorgonis.
Multas in Aegypto virenti
Olim Epaphus stabiliuit arces
Argiuus heros: Et Diomedea
Conciuem Olympi sedibus intulit,
Letoque ademit Diua flauo
Crine decens oculisque glaucis.
Dircæa propter mœnia fulmine

Per-

Percussa tellus Amphiaram cauo
Repentè hiatu clausit illum
Pugnæ alacris rapidaque nimbum.
Locis nec illis fœmineum decus
Olim negatum est quàm memorabilis
Nupta illa constans, quæ sororum
Vna viro iuueni pepercit?
Summus Deum Rex vt Danaes sinu
Alcmenæ & vlnas iutes amabiles
Dormiret, est illapsus vrbi
Argolicæ, mihi testis ingens.
Idèmque ibidem Lyncea callidum
Et talaum acris dotibus ingeni
Dites adornauit potentis
Iustitiæ fideique donis.
Horum tribulis Amphitruo fera est
Nutritus inter prælia sub Ioue:
Qui, donec Alcmenæ maritus
Teleboas metit ense victor.
Laboriosi dicitur in ducis
Venisse sedes tectaque Regia,
Atque imparem pressisse lectum
Sese hominis Deus ore celans,
Semenq; portans haud timidum pater.
Vnde ille natus palmifer Hercules,
Cui nupsit Hebe diua nymphas
Ante alias gradiens Olympo,
Matrem absolutã dũ sequitur comes,
Cunctisque longè pulchrior eminet.
Angusta nobis ora, & arctis
Visceribus mihi pulmo anhelat.

Nar-

Narranti honores ordine singulos
Argiua florens quos plaga sustinet.
» *Deinde illicò fastidiosæ*
» *Laude virum satiantur aures.*
Sed Musa dulcis, tu tamen ocyus
Neruis loquentem barbiton excita,
Luctasque manantes oliuo
Sollicitâ cane, Diua, curâ.
En præliorum stridor aheneus
Iunonis almæ thurifero die
Ad sacra solemnesque pompas
Graiugenas vocat ociantes.
Felis illic filius Vliæ
Forti æmulorum perdomita manu
Bis gestiens obliuioni
Tradidit anxiferum laborem.
Idemque visens Pythia milites
Fudit Pelasgos, & Nemeæ, & breui
Isthmi coronatus Camænis
Fertilem agrum dedit excolendum.
Ter hos triumphos æquora duplicis
Videre ponti, ter venerabilis
Tellus Adrasteis sacrata
Auspiciis veterique lege.
Hæc præter optat mēte quid intima
Thiæus. etsi lingua silet grauis.
Porro in Iouis Pisæa arena
Summus apex operum & laborum:
Non spiritu alto, robore dispari,
Pedem huc palæstes Argolicus feret,
Nec gratia spectantum iniqua

Dulce

Dulce decus piger assequetur.
Testis futurus Iuppiter, & virum
Quicunque culmen tendit in arduum
Certaminum, qua gaudet Elis
Herculeo celebrare ritu.
Certe Vliæ iam bis genus audiit
Plaudentum amicos Cecropidum sonos,
Vocesque laudantes in orbem
Paladia redeunte pompa.
Iam fructuosæ bis oleæ liquor
Delatus Argos peluibus æneis
Quas terra flammis vsta fudit
Impositis varias figuris:
Solemne lucta munus in Attica.
Ad hac parentis forte genus tua
Exercitum felice arena
Fama comes sequitur perennis,
Thiæ, lætis non sine Gratiis.
Ope & fauentum Tyndaridum sacra
Sanè Antia numquam & Thrasyclo
Progenitus timida ora condes
Ingressus Argos. Nam quot adoreis
Oliuæ per illos floruit oppidum
Sublime Præti, nunc Cleonis,
Nunc bimaris spatiis Corinthi?
Quin sæpe eisdem qua Sicyon viret
Frequens oliuis sunt phialæ datæ
Argenteæ, Pellanæ & intra
Mœnia sæpe togæ decentes.
Longi est & alti scilicet otij
Supraque vires dicere lucida

Tot

To' scuta, tot fuluos lebetas,
Tot tripodas numerare ahenos,
Quos alta Clitor & Tegea Arcadum,
Et mons Lycari notus, & ardua
Vrbes Achiuum concitatis
Poplitibus manibusque donant.
Quum verò Castor Castoris & comes
Decta hospitalis aurea Pamphaa
Intrauerint, victor, tuique
Sub proaui trabe conquieuerint:
Iam nemo, credo quaesierit stupens
Cur firmi eadem perpetuò domo
Nascantur Athleta, nec acres
Degenerent animi nepotum.
Hoc non caducum nec breue pramium
Soluere largo Tyndarida hospiti:
Namque Hercules comptusque Maia
Filius, & gemini Lacones,
Depraeliantum vim iuuenum regunt,
Pugnisque ab atra vertice prasident
Mortalibus iustis fauentes,
Et specimen pietatis ipsi.
Quippe hi vicissim caelicolum dapes
Sumunt die vno, rursus & altero
Terram reuisentes Therapna
Antra colunt viridesque valles.
Ne vita fratrum candida discrepet.
Namque ipse Pollux maluit has vices
Seruare fatorum, Deus quàm
Integer vsque polo morari.
Lethale vulnus Castoris intuens.
Illum

Illum è virenti Taygeti iugo
Olim cauata robur intra
Ilicis vmbrifera sedentem
  Vidisse Lynceus dicitur acribus
Vincens ocellis oppositas trabes
Idaque demonstrasse fratri,
Qui rapida violenter ira
  Currens abactos protinus ob boues
Transfixit hostem cuspide ferrea.
Sed talia ausi mox feruntur
Arte Iouis grauiora passi.
  Pollux in ambos nam subitò irruit:
Neque his acuto diriguit gelu
Sanguis, sed infrendens vterque
Restitit ad tumulum parentis.
  Vnde auferentes Ditis imaginem
Immane saxum funereum manu
Audace vibrauere duri
In stomachum medium Laconis.
  Qua mole iacta nec doluit, neque
Loco est remotus vel minimum puer
Ledæ inclytus. quin ipse Lyncei
Fatiferi latus hausit hasta.
  At sæuis Idam Iuppiter obruit
Stridente & atro fulmine, quo duo
Heroes vna concremati
In cineres abiere mæstos
„ Periculosa scilicet alea
„ Res est potentes surgere in æmulos.
Vt verò Spartanus peremptos
Aetheria face vidit hostes;

Fra-

Fratrē ad iacentem se retulit celer
Is morte nondum mersus erat graui,
Sed palpitans frigensque anhelæ
Reliquias animæ trahebat.
Quod conspicatus Tyndarides genas
Largo irrigauit flumine lachrymans,
Crinemque vellens est acuto
Talia cum gemitu loquutus;
Princeps Olympi quē statuis modū
Finemque luctus? me stygiæ neci,
Me trade, nec Castor nigrantes
Horreat incomitatus vmbras.
" *Fortes amici cui pereunt viro,*
" *Illius & vis & decus occidit.*
" *Pauci fideles, quos laborum*
" *Participes aliena tangant.*
Sic fatus ille est: at superum pater
Contra: Mei tu sanguinis, & genus
Cæleste Pollux: verum origo
Castoris inferior minoris,
Hunc namq; seuit dissimilis parens
Infusus vlnis coniugis: attamen
Effare, quod malis duorum.
Si tibi mens animosa flagrat
Tristem senectam fallere, luridum
Vitare funus, degere in æthere
Cum Pallade hastatoque Marte.
Celsa tene galeatus astra,
Sin vulneratum Castora manibus
Auferre pugnas sollicita prece,
Fratrique cunctorum bonorum

Di-

Dimidium dare frater optas :
Deinceps modò imum te capiet solū,
Auraque pascent aeria modò ,
Cælum incoles sublime, Diui
Atque hominis variante forma.
Sic eloquuto Rege Deum, nihil
Concepit heros ambiguum : & statim
Semota Parca est, Castorique
Reddita lux, resoluta lingua.

ODE VNDECIMA ARISTAGORAE

Præfecto Tenedio, filio Arcesilæ.

Cuius initium est,

Παῖ Ῥέας ἅτε.

Numero quo apud Horatium,
Sic te Diua potens Cypri.

M A G N AE, *nata Rheæ , & Iouis*
Iunonisq; soror, Vesta, potentiū
Arces quæ regis vrbium,
Custodisque focos intima publicos .
Fortem Aristagoram libens
Arcanis thalami sedibus excipe,
Collegasque simul graues ,
Omnes sceptrigeros , te prope colloca .
Cultu numinis hi tui

Con-

Conseruant Tenedũ Hectoream, & modò
Libant lene merum, modò
Fumanti recreant te Dea victima.
Horum mensa hilaris dapes
Gratas innumeris sufficit aduenis
Semper, nec sonus interim
Aut vocis liquidæ desinit aut lyræ.
Quare cælicolas precor
Vt cunctis spatium muneris annuum
Currat non sine gloria, &
Nullo pectoribus vulnere sauciis.
Quum dites Tenedi incolas
Sigæo oppositos intueor iugo,
Vnum Aristagoræ patrem
Felicem ante alios Arcesilam reor
Qui membris similis Deo
Sublimes animos ingenitos gerit.
Porro si quis & aureis
„ Gaziis & specie corporis eminet,
Viresque insuperabiles
„ Ostendit stadio sæpe superbiens.
Ne plus quam satis est ei
„ Attollat tumidum gloria verticem,
Mortales reputet sibi
„ Artus impositos, quos humus vltima
Vastis faucibus hauriat,
„ Exæquans homines vnica dispares.
Nec verò Arcesila satus
Molli corde negat segnis originem.
Nam miti in patriæ sinu,
Vicino iuuenum perdomito grege,

Dul-

Dulces ordine sexdecim
Palmas arripuit, luctaque & insolens
Sauis Pancratium ictibus
Vrbem fronde noua cinxit & incolam.
Qua propter iuuenem decet
Lata municipum voce fauentium
Ferri per liquidum aera,
Et pingi Aoniis mille coloribus.
Sed cur arcta parentium
Spes & sape suis noxia charitas
Illum clara ad Olympia
Natum & Phocaica pramia laurea,
Natali tenuit solo,
Virtutemque breui fine coercuit.
Nam per terrificum Iouem
Hic vel Castalia flumen amabilis
Linquens, vel iuga frondea
Saturni veteris, pulchrior omnibus
Et procerior amulis
Exisset Phrygia littus ad insula,
Post conuiuia, qua vagus
Alcides fieri iussit in Elide
Quinquenalia, post comam
Euinctam foliis vndique Delphicis.
Verum fastus inania
„ Iactans sape viros laudibus exuit,
Sape illos gelida manu
„ Prensos clam retrahens exanimis timor
Cœptis grandibus auocat,
„ Audere atque sibi fidere nescios.
Sed quicunque hominum status,
Nemo

Nemo Aristagorę robora conspicit,
Qui non hunc citò sentiat
Pisandri è veteri stipite surculum.
Pisander comes inclyti
Orestis fugiens Taygeto Lacon
Insedit Tenedi solum
Prępingue, Aeolia bellipotens manu.
Vtque illi patrium genus
Spartana tumidum gaudet origine,
Sic matris decorat domum
Thebanis abauus temporibus ferox:
Quanquam belligeræ diu
Interrupta fuit gentis adorea,
Vnum donec & alterum
Inter nos oriens emicuit iubar.
Virtutes veteres auum
„ Mutantur sobolis deterioribus
Actis. Vim nec egentium
„ Luce omnes referunt ordine posteri.
Sic non continua nigri
„ Vbertate soli culta superbiunt,
Non cunctis redeuntibus
„ Annis, floribus & fructibus arbores
Nutant, sed varias vices
„ Pomona atque Ceres æmula diligit.
At victor tibi redditos
Fasces imperij & sceptra Penatibus
Iam desueta tuis memor
Exorna facilis laude modestię.
Nemo conscius exitus
„ Euentusque sui, quem Deus abditum

Fa-

Fatorum latebris tegit,
„ Casu sæpe graui prospera finiens.
Humanum genus attamen
„ In fastum erigitur semper, & ardua
Versat multa ferociter,
„ Despondere sibi quidlibet impotens:
Nam nostro procul a solo
„ Præsaga exoritur fons sapientiæ.
Porrò terrigenas decet
„ Rerum non cumulum quærere, sed modum,
Quamuis noster in omnia
„ Inconcessa furor fertur acutior.

Finis Nemeorum Pindari.

ISTHMIA PINDARI
LATINO CARMINE
REDDITA,
PER
NICOLAVM SVDORIVM Inquisitionum Præsidem.

AD ORNATISSIMVM
V. Vidum fabrum, Sanctioris Regis
Consilij Consiliarium, & Curiæ
Parisiensis Præsidem,
N. S.



STHMIA *iure tibi Præses damus inclyte, nam qui*
Pisæo quondam puluere victor erat,
Palladiam retulit lætus nil præter oliuam:
Pythia vincenti, laurea sola data est:
Perpetuoque eadem Graijs quæsita corona
In Nemeæ vmbrosis vallibus Herculeæ.
Isthmus at æquoreus non sæclis omnibus vna
Tradidit emeritis florida serta viris.

Sed


Sed viuax illic Apium, iucundaque Pinus,
Alternis nitidas implicuere comas.
Tu quoque cùm ramos olea mereare disertis
Vocibus, & Laurum carmine Pierio,
Non tibi danda modò Vnius praconia frondis,
Nam crines nunc hac, nunc tegit illa tuos.

ISTHMIA PINDARI
LATINO CARMINE REDDITA, PER
NICOLAVM SVDORIVM Inquisitionum Præsidem.

HERODOTO THEBANO
Ode prima Isthmiorum.

Quæ incipit,

Μᾶτερ ἐμά, τὸ τεὸν χρύσασπι θήβα.



RMATA Thebe, chara parens, tui
Quicquid negoti est colloco res supra
Curas & omnes, idque leni
Mente velim ferat æqua Delos.
Modo inchoatis cuius honoribus
Totum incubantem me patriæ recens
„ *Palma auocauit. nam bonis quid*
„ *Dulcius est genitrice terra?*

Hanc quæso solam da veniam mihi,
Phœbæa tellus: dij faueant modò
Nos gratiam non vnam inire
Posse reor geminis ab oris,
Cea in remotis vallibus insula
Latè micantis tempora Cynthij
Intonsa cantantes diem post
Exiguam, volucresque menses.
Nunc verò sæuis oppositum fretis
Isthmum efferentes laudibus, hic enim
Frondentibus iam sex coronis
Est acies redimita Cadmi.
Spectata duris nuda laboribus
Meæ trophæum nobile patriæ,
In qua Herculem regina mater
Progenuit vacuum pauore.
Atque efferatas Geryonis canes
Inuadere ausum, clauigera manu:
Concine non indignus illo
Herodotus celeres quadrigas
Egit lacertis ipse suis, carens
Aurigæ habenis auxiliaribus,
Qua propter illum Castori æquem
Nil dubitans, Iolao & acri.
Laboriosis qui Gemini rotis
Olim imperarunt ante alios citi
Heroas, audacisque Spartæ
Indigenas, validaque Thebes:
Merces & illis contigit omnibus
Diuersa arenis, dum pateris larem
Pulchris adornant, aureisque

Muneribus tripodum & lebetum.
Lauri coronis suauibus additis.
Virtusque eorum lucida claruit
Velocium cursare nudo
Corpore, vel nitidis in armis
Onusta circum membra sonantibus,
Ad hac gementem qualiter aera
Rupere, coniectis in altum
Cuspidibus grauibusue discis?
Nam nemo quina gymnade adhuc simul
Certabat audax quisque, sed vnico
Sudabat intentus labori,
Haud variis inhians coronis:
Quibus frequenter simplicibus dus
Heroes vnctas impliciti comas
Dirces & Eurota liquentis
Vmbrifera placuere ripa:
Hic natus inter dentigenas viros
Thebanus, alter sanguis Achaicus,
In colle sublimis Therapnæ
Magnificos habitans penates.
Valete Diui, & supplicibus boni
Estote semper: nunc ego Nereo
Isthmoque & Onchesti marina
Verba canens numerosa rupi,
Victorem & eius conspicuum vndique
Patrem loquaci pectine garriam
Asopodorum patriamque
Illius Orchomenon feracem,
Quę victum alumnum fluctibus, & ratis,
Complexum in alto fragmina naufraga

Ser-

Seruauit, è tristique ponto
Sustulit in gremium benigna.
Nunc verò vita post miserabilis
Tristes procellas, exilium & graue,
Felicem eundem rursus alto
Fata loco posuere Thebis.
Porrò virorum pectora fortium
„ Aerumna sauis exacuit malis:
„ Cùm verò certantum labores
„ Atque graues nituere sumptus,
Liuore cuncti seposito decus
„ Laudemq; victorum æquanimes ferant:
„ Nam dulce vectigal poeta
„ Ingenio locuplete soluit:
Qui pro cruentis vulneribus modos
„ Lapsis ephebis cantat amabiles
„ Iucundus, insignitque eodem
„ Carmine, municipes & vrbes.
Non vna merces disparibus viris
„ Grata, hanc colonus, dux gregis alterã
„ Sectatur, hanc piscator, illam
„ Alituum populator auceps:
Innatus illis sed tamen omnibus
„ Communis ardor pauperiem & famem
„ Arcere lethalem profundis
„ Visceribus, cupidoque ventre.
Qui verò bellis aut stadio impiger
„ Dulces honorum delicias tulit,
„ Et ciuium cantatus hymnis
„ Et peregrina volans per ora:
Is maximarum diues opum caput

,, *Sublime stellis inserit arduis.*
At me Rhea natum tridenti
Aere s.lum grauiter mouentem
Sonare par est ob meritum recens,
Illique grates soluere debitas:
Nam patre Neptuno fauente
Herodoto data palma currus.
Qua bina tellus submouet aequora
Nec iam alta Thebe, nec Minyae domus
Tacenda, non Euboea felix,
Non sacra praetereunda Eleusis,
Nec dedicatum Protesilae nemus
Terris Achiuis, nec Phylace potens,
Quis sedibus cunctis hic idem
Victor ouans iuga nota flexit.
Sed cuncta fari me decora inclyta
Atlantis, illi quae tribuit nepos
Luctator, haud dimensa nostris
Carminibus sinit hora praeceps.
Et saepe Musarum artifici quoque
,, *Inest venustas mira silentio.*
Faxint Dij vt Dirces alumnus
Caerulea Aonidum sororum
Tollatur alis clarisonantibus
Tractus in altos aeris, & comam
Lauro renodandus virenti
Pythia mox operosa vincat:
Ramisque oliuae deinde feracibus
Manus vigentes impleat Elidis
Ad flumen, aeternosque muris
Aedificet patriis honores.

Quod

Quòd si quis auri pondera conditi
» Proferre in vsus egregios timet,
» Inglorius, visósque claræ
» Famæ auidos homines cachinnat:
Non mente læua cogitat inscius
» Vbi Orchus illi lumina clauserit
» Se laudis exortem perennes
» In tenebras animam daturum.

XENOCRATI AGRIGENTINO.
Ode secunda.

Quæ incipit,

Οἱ μὲν πάλαι, ὦ Θρασύβουλε, φῶτες.



N-CLYTI *vates, Thrasybule, prisci,*
Qui manu arguta Citharã tenentes
Aureum saltu potuere Phœbi
Scandere currum,
Sæpe mellita teneraque voce
Aerem gratis pepulere, si quæ
Visa fortè illis speciosa verno
Flore puella,
Docta lasciuos iuuenes morari
Dulcium semper memores amorum.
Musa nam nondum radiantis auri

Capta nitore
Ditibus suaues operas locabat,
Aere venales, neque cantiones
Ore fucato populum mouebant
Laudis emacem.
Sed modò Argiuus nimis ille verax
Qui sibi elapsis opibus fugaces
Intuens vna comites abisse
Fœdere rupto,
„ *Dixit ingenti gemitu, Quid, ô Di,*
„ *Est vir aut virtus nisi magna nummum*
„ *Copia, hac docta tibi non aperta*
Canto Thalia.
Canto equum cursus celeremq; palmam:
Quam tuo fratri niger Amphitrites
Detulit coniux, apij quoque addens
Texta virentis
Dorio crines cohibere nodo,
Sic Deo visum est, Agragantis vrbis
Publicum sydus decorare, & altum
Tollere ciuem,
Cui sonans axis volucerque cordi.
Quin & hunc olim Patareus Apollo
Pythia ingressum sacra septa blando
Lumine vidit.
Clari & ambiuit radiis honoris,
Cumque cælesti Charitum decore
Tictus intonsum caput attigisset
Delius idem,
Cognitas orbi celebres Athenas:
Sæpe suspexit rapido cauentem

Curruis


Currui & frenis habilem regendis
Nicomachi vim,
Concitos quem Xenocratis iugales
Voce flectentem validisque loris
Anteà agnouit media sonorus
Elide praeco,
Atque consuetus superum satelles
Cantibus sacrum reuocare lustrum,
Nec fuit mensa & dapis hospitalis
Immemor ille.
Forti ab auriga laribus paternis
Splendidè exceptus populis Eristhei
Forte dum visit, ideoque clangor
Lætior æris
Ciuis erupit Siculi ministro
Impigro, & victricis ad aurea diuæ
Genua delapso, prece non in Euri
Flabra soluta.
Sunt enim vestris, Thrasybule, tectis
Cogniti mensarum hilares paratus
Post graues pugnas, numerique grandes,
Musaque dulcis.
" *Nec virum si quis faciles Camænas*
" *Ducit in claros procerum Penates*
" *Fortium, huic semper via celsa, mons ve*
" *Arduus obstat.*
O meæ audaces vtinam sagittæ
Cæteras tantùm superent volantes,
Quantum Agrigenti tuus anteit omnes
Frater alumnos.
Moribus leni grauitate comptis:

Non domi hic cultu caruit suorum,
Nec foris acres ob equos Pelasgum
Laude secunda.
Quis pium eiusdem tacitum relinquat
Pectus indictas obeuntis omnes
Ferias? Diuum quis opes benignas
Celet iniquus?
Nam dapum largus veterisque Bacchi
Sumptuum numquam miser explicata
Vela contraxit, validis sed Austris
Lintea pandens,
Phasida & Colchos gelidos per æstum,
Frigore Aegyptum petiit calentem,
Aduenis hospes variis vtroque
Tempore gratus.
Ne (quia humanis macer vsque liuor
Imminet rebus) vel eum vel eius
Inclytum patrem numerosue nostros
Deterat ætas
Inuida obscurans: nec enim remissum
Carmen hoc, pigrum ve tibi ferendum
Tradimus velox Nicasippe in altas
Principis ædes.

MELISSO THEBANO
Ode tertia.

Quæ incipit,

Ἔι τις ἀνδρῶν ϲ'υτυχήσαις.


I quisquam Danaum bono
Pugnarum grauium nobilis exitu,
Congestisue opibus potens,
Cor fastu grauidum comprimit & domat.
Hunc plebs iure per vrbium
Non inuita canit compita, Iuppiter,
Puro cuius ab æthere
,, Mortales hominum defluit in greges
Virtus qualibet enitens.
,, Nam fortuna virum vitaque longior
A tergo venientia
,, Conuersis oculis respicientium:
Sed mens læua quibus stupet,
,, Confiditque rotæ cæca volubili,
Horum non habitat diu
,, Sedes instabiles fluxa beatitas.
Porro Pierium decet
Vatem iusta operum dicere præmia:
Clarorum, & lepidis modis
In cælum iuuenes tollere prouidos:
Quorum vni geminum decus
Melisso è duplici puluere contigit,
Bisque illi bibit intimum.


Pectus lætitiæ suauia pocula,
Et cùm vallibus in lytis
Isthmi fronde noua tempora vestiit,
Et cùm victor equis citis
Cadmeam patriam non humili tuba
Lætum sparsit in aera,
Qua quondam Herculeus terribilis Leo
Post cædem pecoris vagi
Vastum inter frutices deposuit latus:
Sic victor docuit sibi
Innatum veteris robur originis:
Certè fama Cleonymi
(Gens à quo patria est) laurigeras rotas
Nouit, nec proauos minus
Maternæ sobolis Labdacidas graues,
Olim per cumulos opum
Vectari solitos curribus aureis.
Vnum flebile fortibus,
Quod Melisse carens fratribus ingemis:
Sed quisnam volucres dies
„ Nutantes hominum fata coerceat?
Soli cælitibus sati
„ Non vlla accipiunt corpore vulnera.

EIDEM.

EIDEM MELISSO
Ode quarta.

Quæ incipit,

Εἴ τί μοι θεῶν ἕκατι.


E mille nostris gressibus offerunt
Partes in omnes Aonia viæ
Melisse, panduntur que amœna
Vndique Pieridum vireta,
Iuuantibus Diis, nam pugil Isthmia
Cauisti arena ne foret asperum
Durumve quidquam personanti
Voce tuas fidibusque vires.
Quibus vigentes usque Cleonymi
Prisci nepotes non sine numine
Felicis illasique vitæ
Curriculi tetigere calcem.
Quamuis in horas assiduè leues
„ Mutantur Euri, nec similis diu
„ Flatus per altum currit æquor
Aut homines agitat caducos.
Thebis potentes sed Cleonymidæ
Longos honores alta ab origine,
Gessere, præclaramque lautis
Hospitiis aluere famam:
Lingua insolenti verba nocentia
Tristesque voces spargere nescij:

Ac

Ac gloriæ quidquid sepultos
Nobilitat proceresque viuos,
Sacroque testatum ore Polymniæ
Gentes pererrat, victor, auis tuis
Hoc omne quæsitum suprema
Cuncta simul decora assequutis,
Virtus & horum bellica mœnibus
Ab vsque Cadmi porrigitur sacris,
Rectat ad Alcidæ columnas
Nauigerum mare terminantes.
Quapropter actis longius inclytis
Prodire non est: quid memorem hos equũ
Nutrisse pugnaces quadrigas,
Et rutilo placuisse Marti?
Die sed vno bis geminos tibi
Melisse fratres corripuit furens
Heu nimbus armorum, & beata
Tecta viris viduata liquit.
Nunc vero per te clara patris domus,
Vt alma tellus post hyemem nigra
Caligine obductam rubentes
Vere rosas ineunte fundit.
Atque ima terræ concutiens sola
Neptunus Onchesti incola nobilis,
Isthmique custos, laude vestram
Progeniem recreans & hymnis,
Illius agrum iam decus ac velut
Stratis recumbens tristibus excitat.
Nam pæne tanta fama gentis
Casibus occiderat sinistris:
Sed illa surgens nunc iterum tua

Ad

Ad clara palmæ classica fulgurat,
Vt lucifer detersus vndis
Mille alias nitet ante flammas.
Hac ipsa quondam fama tuas rotas
Vicisse clamans finibus Atticis,
Ludisque quos Adrastus ora
Instituit Sicyonis exul.
Flores amœni tunc tibi carminis
Porrexit vltro, sparserat vt prius
Virtuti auorum, qui nec vnquam
Quadriiugos habuere currus
Graij abstinentes pulueris ad sacros
Cœtus Achiuis conuenientibus,
Nec fortium magnis equorum
Sumptibus ingemuere tristes.
Viris auaris namque & opum pigro
„Amore nil altum experientibus,
„ Nox atra torpentis silenti
„ Vsque caput tenebris opacat.
Quin ipsa multis congredientium
„ Fortuna summos ante apices latet
„ Victoriæ, quam fata nunc his
„ Nunc aliis inopina donant.
Ac sæpe vasti robora militis
„ Peruertit astu debilis artifex
„ Pugnandi: & illam nostis omnes
Vim Telamoniadæ cruenti,
Qui mane summo diffugientibus
Stellis ademptas exuuias sibi
Mœrens Achilleas. reclusit
Ipse suum latus ense crudo.

Nunc-

Ac gloriæ quidquid sepultos
Nobilitat proceresque viuos,
Sacroque testatum ore Polymnia
Gentes pererrat, victor, auis tuis
Hoc omne quæsitum suprema
Cuncta simul decora assequutis,
Virtus & horum bellica mœnibus
Ab vsque Cadmi porrigitur sacris,
Rectat ad Alcidæ columnas
Nauigerum mare terminantes.
Quapropter actis longius inclytis
Prodire non est: quid memorem hos equũ
Nutrisse pugnaces quadrigas,
Et rutilo placuisse Marti?
Die sed vno bis geminos tibi
Melisse fratres corripuit furens
Heu nimbus armorum, & beata
Tecta viris viduata liquit.
Nunc vero per te clara patris domus,
Vt alma tellus post hyemem nigra
Caligine obductam rubentes
Vere rosas ineunte fundit.
Atque ima terræ concutiens sola
Neptunus Onchesti incola nobilis,
Isthmique custos, laude vestram
Progeniem recreans & hymnis,
Illius agrum iam decus ac velut
Stratis recumbens tristibus excitat.
Nampanè tantæ fama gentis
Casibus occiderat sinistris:
Sed illa surgens nunc iterum tua

Ad

Ad clara palmæ classica fulgurat,
Vt lucifer detersus vndis
Mille alias nitet ante flammas.
Hac ipsa quondam fama tuas rotas
Vicisse clamans finibus Atticis,
Ludisque quos Adrastus ora
Instituit Sicyonis exul.
Flores amœni tunc tibi carminis
Porrexit vltro, sparserat vt prius
Virtuti auorum, qui nec vnquam
Quadriiugos habuere currus
Graij abstinentes pulueris ad sacros
Cœtus Achiuis conuenientibus,
Nec fortium magnis equorum
Sumptibus ingemuere tristes.
Viris auaris namque & opum pigro
„*Amore nil altum experientibus,*
„ *Nox atra torpentis silenti*
„ *Vsque caput tenebris opacat.*
Quin ipsa multis congredientium
„ *Fortuna summos ante apices latet*
„ *Victoriæ, quam fata nunc his*
„ *Nunc aliis inopina donant.*
Ac sæpe vasti robora militis
„ *Peruertit astu debilis artifex*
„ *Pugnandi: & illam nostis omnes*
Vim Telamoniadæ cruenti,
Qui mane summo diffugientibus
Stellis ademptas exuuias sibi
Mærens Achilleas reclusit
Ipse suum latus ense crudo.

Nunc-

Nuncque inter vmbras Argolicis viris
Vectis ad altam nauibus Ilium
Rixatur, iratus. sed ingens
Mæonides opere expolito
Miris per orbem vexit honoribus
Sublimem Vlyssem, principis erigens
Tollensque virtutes in altum
Carmine non hominem sonante:
Quo posteris est tradita vatibus
Seges iocosæ conueniens Lyræ.
Vocale nam quodcunque & expers
„ Interitus canimus diserti
Excurrit omnes in populos vagum,
„ Et strenuorum fax operum mican
„ Terras inextinctis pererrat
„ Luminibus sterilemque pontum.
Adeste quæso Pegasides Deæ,
Tuque ò feracem qui Lyciam colis
Delumque maternam liquore
Phœbe nouo mihi labra tinge;
Per me, vt Melisso flammifer ardeas
Honoris ignis Pancratium ob graue,
Dignaque te frondes inumbrent
Nata Thelesiadæ corona.
Tu par feroci corde Leonibus
Horrore syluas concutientibus,
Explere cùm se rugientes
Cæde vagi pecoris laborant:
Idemque vulpem consilio refers,
Quæ sæpe in aruis victa velut iacens,
Dorsumque reclinans supino

Vngue

Vngue Aquilas lacerat cruentas.
Virtute namque est acribus & dolis
» *Tollendus hostis, non tibi vastitas*
Orionis, non alta moles
Ionium gradiens per æquor:
Sed corpus illud quod pugil intuens
Contemnere ausit, mox tamen asperum
Expertus inuictumque pugna,
Ipse suos oculos refellat.
Sic & statura non nimis Hercules
Enormis alta, verum animo vigens
Interrito felici ab vrbe
Ogygis in Libyam profectus,
Sæui gigantis triste palatium
Antæi adiuit, scilicet vt viro
Luctatus immani scelestum
Lege pia caput obligaret:
Posthac marini ne foribus Dei
Ora innocentum figeret hospitum,
Neu templa circum luctuosis
Horrida pollueret figuris.
Molitus hoc est filius inclytæ
Alcmenæ, & idem viuus adhuc polum
Conscendit ardentem, & relapsus
Omne solum peragrans obiuit,
Nec præter illum quisquam alius rate
Fines profundi vectus ad vltimos,
Iussitue substerni carinis
Immemores feritatis vndas.
Iam verò ab Oetæ nubiferis iugis
Sublatus altum limen habet Iouis:

Sedi-

Sedi propinquans, incubatque
Aethereis opibus beatus,
Charusque diuis, & venerabilis,
Postquam penates duxit in aureos
Heben renidens, & potentis
Esse gener meruit nouercæ,
Portasque eidem nos ad Alectridas
Dapes parantes, & foliis nouis
Altare velantes sacratum,
Vna etiam rapidos in ignes
Cæsa hostiarum viscera mittimus.
Herois octo pignoribxs vagi
Quæ mater eduxit Creontis,
Argolicusque peremit ensis
Et nunc honori tot iuuenum die
Latente, claræ mille faces micant,
Noctemque vincentes odoro
Astra petunt, feriuntque fumo.
Verum tenebras peruigiles vbi
Phœbus remouit, tunc redit annuum
Certamen, impleturque feruens
Viribus oppositis arena,
In qua capillos victor hic implicans
Canente myrto bis merita caput
Ostendit exinctum corona,
Virque viris abiit subactis.
Vt ante victis se pueris puer
Iactarat audax, nempe tibi obsequens,
Impube qui corpus gubernas
Vt fragilem, Polybule, cymbam:
Sed nunc Aliptes impiger Orseas

Nobis.

Nobis & Isthmi concinitur pugil,
Illisque funduntur liquores
Aonij, Charitumque succi.

PHYLACIDAE AEGINETAE
Pancratio victori, Ode quinta.
Quæ incipit,
Μᾶτερ ἀελίυ πολυώνυμε Θεία.

„ *O Pares magni Thea prisca solis,*
„ *Tuque sol cuius radiatis astrū*
„ *Condito terræ latebris in imis*
„ *Præsidet auro,*
„ *Nostra gens per vos bona cuncta supra*
„ *Extulit flaui nitidum metalli*
„ *Sydus & rerum dominos fatetur*
„ *Indiga nummos:*
„ *Iure nam vestris opibus feruntur*
„ *Per mare in pugnam validæ triremes:*
„ *Cumque Mars terris agilis mouetur*
„ *Munere vestro,*
„ *Acer armatæ sonipes quadrigæ*
„ *Sæuit in campis hominumque equumq́;*
„ *Stragibus gaudet, ferus, & iacentes*
„ *Calcat aceruos.*
Nec sine impensis grauibus cupitam
Gloriam fuluæ pariunt arenæ,
Siue quis pugnax manibus, volucri
Seu pede cursor
Tempora vmbrosis operit coronis.
Insolens fortuna licet, feroxque,
Præliis gestit dare iura nudæ

Pubis

Pubis Achiuæ:
„ Sunt duo queis flos agitur beatæ
„ Vitæ, & immensis auidisque votis
„ Maior euadit, nec eget bonorum
„ Diuite riuo:
„ Scilicet quando tibi lenis aura
„ Sortis aspirat facilis, simulque
„ Fama laudantis populi. duobus
„ Namque potitus
„ Cuncta diuorum cumulata dona
„ Accipis lætis animis, neque vltra
„ Iuppiter poscas fieri, nec altum
„ Aethera tentes.
„ Quippe mortali generi caduca
„ Congruunt dotes pereuntis æui.
Nate Lamponis tua bis in Isthmo
Cognita virtus.
Sacra nec tellus Nemeæ virentis
Immemor fratris Pytheæ, tuique,
Et pede & pugno, fera quos gerentes
Prælia vidit,
Ditis Aeginæ validos alumnos.
Quo loco numquam mihi Musa cordi,
Nec modi dulces vbi laus siletur
Aeacidarum.
Sed modo huc veni, comitesque duxi
Gratias mecum, sobolem vt gemellam
Inclyti Lamponis in astra ferrem
Alite versu.
Quòd si, vt Oenopæ memorant coloni,
Fratris excellens vtriusque virtus
Ad

Ad decus fulgens operum micanti
Tramite fertur:
Spiritus magnos animosa Clio
Nuc gere, & cantu resonans acuto
Musicos large iuuenum labori
Funde liquores.
" *Namque & Heroum genus acre bello*
" *Quasi it sparsas per inane voces*
" *Impigris factis: & adhuc lyraque*
" *Multiforesque*
" *Fistula natos superum loquuntur*
" *Mille post annos, veterum & virorum*
" *Panè calestis tenet occupatos*
" *Gloria vates.*
Hinc ad Aetolas celebrantur aras
Martij Oenidæ, neque septiportis
Editus Thebis Iolaus inter
Sacra tacetur.
Patrium latè volitat per Agros
Aliger Perseus, liquidusque semper
Iactat Eurotas Helenæ minaces
Cuspide fratres.
Ast in Aeginæ spatiis amœnis
Aeacum rumor canit & feroces
Posteros eius, quibus alta bis est
Diruta Troia:
Herculis ductu semel inquieti,
Dein sub Atridis: age nunc Thalia
Altius currus humiles, relinquens
Ardua terras.
Fare quis Cycnum iugularit audax,
Dic

Dic quibus telis homicida fusus
Hector iratis dederit trahenda
Membra quadrigis.
Pande quis nigris orientis alis
Memnonem Diuæ genus imperantem
Strauerit, cui nam domitus Pelasga
Telephus hasta,
Sanguine infectas virides Caici
Tinxerit ripas. nihil vllus ausus
Tale, quem felix tua non crearit,
Aeace, tellus.
Iam diu virtutum animique magni
Murus Aeginam validam coronat,
Nulla quem summum superare victrix
Machina possit:
Ac meo inclusæ retinentur ore
Mille verborum celeres sagittæ,
Ciuium Oenopæ vetus expetentes
Figere nomen.
Quin noua accessit mihi testis vrbs &
Regia Aiacis Salamis marina
Arte nautarum stabilita nuper
Oenopiorum,
Et manu fida socioque marte
Seruiti mœstis resoluta vinclis,
Cùm necis duræ grauis ille Medis
Incidit imber,
In modum & spissa niuis asperaue
Grandinis densi cecidere Eoi,
Milites pinguis lanianda Graiis
Piscibus esca.


Sed

„ *Sed tamen ſæuam Nemeſim timentes*
„ *Præſtat elatos cohibere faſtus*
„ *Vocis inflatæ. bona nam vicissim*
„ *Et mala fundit*
„ *Iuppiter, vaſti moderator orbis,*
„ *Sit licet Pæan hilaris, tubæque*
„ *Cantibus virtus celebrata, melle*
„ *Dulcior omni.*
Nec fero Marti ſimiles agonas
Ludicrôs ſpernat Danaum iuuentus,
Quæ tuæ gentis, Cleonice, miros
Norit honores,
„ *Non diu obſcurus labor eſt virorum*
„ *Fortium ſumptus, neque ſemper ingens*
„ *Rebus infectis animum dolore*
„ *Pungit hiantem.*
Teſtis hic clarus Danaas per vrbes,
Victor atque eius Pytheas aliptes
Cæteris maior mihi nunc acuta
Voce canendus:
Qui modò Athletæ docilis feroces
Dirigens ictus facilem coronam
Reddidit dextra celer, atque cura
Alite velox.
Muſa ei flores operoſa texe
Dulce cincturos caput, & lacernam
Purpura tinctam. & teneros merenti
Porrige verſus.

PHYLACIDAE PYTHEAE
Euthymeni auunculo ode sexta.

Quæ incipit,

Οἄλλοντος ἀνδρῶν ὡς ὅτε συμποσίε.




ICVT sæpe virum regificas dapes
Inter iam medias dat puer alterum
Conuiuis cyathum, qui generi inclyto
Heroum bibitur sacer:
Lamponis soboli sic iterum nouum
Nectar Pierij porrigo carminis:
Nam primos latices, ò superum potens
Regnator, tibi fudimus,
Cum maior Pytheas in Nemea caput
Velatum egregiis frondibus extulit:
Nunc Isthmi in spatiis ob puero decus
Partum Phylacidæ recens,
Impletur cyphus. hic posterior vago
Neptuno & vitreis virginibus maris.
Libemusque vtinam tertia pocula
Seruatori hominum Ioui,
Quando gens eadem gramine Olympico
Pisea tulerit munus adoreæ,
Ac per me Oenopium mel Aganippidū
Lætis irriget imbribus.
Porro si cui hominum, non labor inquies
Nec

,, N c sumptus grauis est, dum sibi proui-
dus
,, irtutem æthercam comparat , & so-
nans
,, Laudis murmur amabilis :
Is par cælicolis alite prospera
,, Felices alacer vectus ad insulas
,, In littus validam proiicit anchoram ,
,, Fundamen stabilis ratis .
Tali sorte potens Phylacide sator
Vsus , iamque sua non humilis spei
Compos , nec tremulam canitiem pauet,
Nec letum metuit nocens .
At magnam Lachesin nunc precor illius
Et consanguineas vnanimes duas ,
Victorem vt cupidum frondis adhuc
noua
Elæi Iouis audiant.
Nec vero mihi fas Oenopiæ solum
Ingresso omniferum curribus aureis
Stantes Aeacidas ferre silentio
Pressos, quin potius iuuat
Dircæo meritos spargere flumine .
Strata namque via centipedes pa-
tent
In latum innumera , queis opera in-
clyta
Clari sanguinis exeunt
Nili vltra tacitas amnis origines
Occultumque caput longiùs , & gelu
Tristi Hyperboreo : dura nec oppidum

PHYLACIDAE PYTHEAE
Euthymeni auunculo ode sexta.

Quæ incipit,

Οὐάλλοντος ἀνδρῶν ὡς ὅτε συμποσίου.



ICVT *sæpe virum regificas dapes*
Inter iam medias dat puer alterum
Conuiuis cyathum, qui generi inclyto
Heroum bibitur sacer:
Lamponis soboli sic iterum nouum
Nectar Pierij porrigo carminis:
Nam primos latices, ô superum petens
Regnator, tibi fudimus,
Cum maior Pytheas in Nemea caput
Velatum egregiis frondibus extulit:
Nunc Isthmi in spatiis ob puero decus
Partum Phylacidæ recens,
Impletur cyphus. hic posterior vago
Neptuno & vitreis virginibus maris.
Libemusque vtinam tertia pocula
Seruatori hominum Ioui,
Quando gens eadem gramine Olympico
Piseæ tulerit munus adoreæ,
Ac per me Oenopium mel Aganippidũ
Lætis irriget imbribus.
Porro si cui hominum, non labor inquies
Nec

,, Nec sumptus grauis est, dum sibi prouidus
,, irtutem aetheream comparat, & sonans
,, Laudis murmur amabilis:
Is par caelicolis alite prospera
,, Felices alacer vectus ad insulas
,, In littus validam proiicit anchoram,
,, Fundamen stabilis ratis.
Tali sorte potens Phylacide sator
Vsus, iamque sua non humilis spei
Compos, nec tremulam canitiem pauet,
Nec letum metuit nocens.
At magnam Lachesin nunc precor illius
Et consanguineas vnanimes duas,
Victorem vt cupidum frondis adhuc noua
Elai Iouis audiant.
Nec vero mihi fas Oenopia solum
Ingresso omniferum curribus aureis
Stantes Aeacidas ferre silentio
Pressos, quin potius iuuat
Dircao meritos spargere flumine.
Strata namque via centipedes patent
In latum innumera, queis opera inclyta
Clari sanguinis exeunt
Nili vltra tacitas amnis origines
Occultumque caput longius, & gelu
Tristi Hyperboreo: dura nec oppidum

Vllum barbaries habet,
Peruersis resonans vndique vocibus,
Fortunati vbi non gloria Pelei
Cantetur populis, & Telamonius
Aiax, & Telamon ferox:
Quem fidum comitem Martis ahenei
In casus dubios cum legionibus
Tirynthi armiferis duxit ad Ilium
Clarorum tumulum virum
Vicides patiens, vt Phrygis impij
Periurum imperium regnaque tolleret,
Tuncque hostis scelerum falsiparens manu
Troum Pergama diruit.
Ac Cea domitis ciuibus insula
Sauis, mox etiam concidit illius
Vi iusta Alcyoneus haud similis viro,
Sed monti aerio gigas,
Per Phlegraa boues ducere pascua
Consuetus, neque tum degener Herculis
Arcus tela peocul mittere gestiens
Clangentem tenuit sonum.
Ergo progenies armipotens tua
Alcmena Aacida milite glorians
Iam claro socios are coegerat,
Et iam dispositas dapes
Prandebant auidi littore nauita,
Quum fortis Telamon magnanimum ducem

Ripa

Ripæ inferre gradum conspiciens trucis
Indutum exuuias feræ,
Hoc hortatus eum est in spolio vt meri
Nectar Cælitibus funderet integris,
Deinde illi pateram bellipotens comes
Ex auro rigidam dedit,
Spumantemque hilari munere Bacchico,
Quam dextra cohibens martia brachia
In sublime alacer sustulit Hercules,
Tali vociferans sono:
Si tu vnquam facilis sollicitas preces
Audisti Herculeas, magne virum sator
Regnatorque Deum, te modò, te modò,
Sanctis vocibus apprecor,
Vt natorum inopi des sobolem meo
Pugnacem Aeacidæ, tectaque prosperes
Fortunasque viri, nec puer editus
Cedat vulneribus magis,
Quàm tergum hoc patiens terribilis feri,
Quod latos humeros nunc mihi contegit,
Partum insigne manu cùm Nemea est meis
Primis vsa laboribus,
Occisusque leo mortifer illius
Inuictos animos, ò vtinam, gerat.

 Qui

Qui nostro exoriens filius hospiti
Implebit vacuos lares.
Sic fato è liquido protinus æthere
Missus Rex auium deuolat Aeetos,
Quo viso exiliit lætitia Herculis
Pectus suauiter intimum:
Moxque heros veluti numine percitus
Vates augurium tale hilaris canit:
Audax progenies quam petis, ossibus
Exibit Telamon tuis,
Sed natum volucri lætus ab æto
Aiacem vocita: sic Deus imperat:
Aiacem validum, qui populos supra
Toto vertice martios
Extabit medio celsus in agmine.
His dictis iuuenum cum grege nautico
Alcides epulis accubuit libens.
Sed notum genus Aeaci
Prolixumque nimis semideum exequi
Virtutes alias, deinde ego Pythea,
Vnctoque Euthymeni, & Phylacidæ, dator
Adsum nominis inclyti:
Quos Argiua modo pauciloquentia
Percurret breuiter: namque trium duo
Fratres vnanimes, vnus auunculus
Omnes pancratio boni:
Ter campis Ephyræ, bis Nemeæ in plaga
Deuicere graues fortiter æmulos.
Quot vero elicuit carmina multiplex
Virtus Aonidum è sinu?


Quàm

Quàm dulcis Charitum succus hymettius
In Psalychiadas perueterem tribum
Illorum cecidit? quàm bene sic domus
Est fundata Themistij
Aeginæ validis vrbis ab incolis?
At Lampon senior præmeditans diu
Quidquid grande animo suscipit anxio,
Ascræum sequitur melos
Illud: (cura vigil perficit omnia)
Quin sæpe hoc sobolem palmiferam mo-
net,
Communi in patria clarus, & hospitum
Donis ditibus affluens.
Idem legitimum promouet ad modum
Cœpta, & spes auidas non humilis neq;
Abiectus cohibet, sermo nec illius
Prauertens animum volat.
Certantesque aliis rectius erudit,
Vt cos vtilior Naxia cæteris
Quæ missæ ex alio littore desides
Enses segniter asperant.
Quare illum meritò spargo liquoribus
Phœbei laticis, qui modo virgi num
Iussu Pieridum sacra Polynicis
Erupit prope mœnia.

STREPSIADAE THEBANO Pancratio victori Ode ſeptima.

Quæ incipit,

Τίνι τῶν πάρος, ὦ μάκαιρα. Θήβα.


VANDO *alta Thebe lux hilariſſima*
Exorta ſummis cor tibi gaudiis
Demulſit ob clarum tuorum
Nomen & indigenas honores?
An nato Iaccho qui Cereri æneum
Siſtrum gerenti ſemper adeſt comes
Formoſus? an cùm nocte furua
Iam medium ſpatium terente
Bigis opacis decidit aureo
Mutatus imbri Iuppiter in tuas
Sedes, & Alcmenam tumentem
Viribus Herculeis reliquit?
Num quando primùm fudit in arduis
Oracla rebus Tireſias ſagax,
Vel cùm per Vrbem gloriantes.
Victor equos Iolaus egit?
Vtrum ne fortis miles vbi ſato
Erupit aruo, telaque protinus
Inuaſit, an cùm caſtra ſeptem
Pulſa tuis abiere muris:
Pallenſque Adraſtus fugit in intimum
Argos peremptis Rex viduus viris?

Num

Num quando tu Sparta labantes
Ausa pedes stabilire sola,
Aegidæ & acres gens tua Cynthio
Iubente Amyclas sub Lacedæmona
Strauere? sed Thebana pridem
Sparta ferox benefacta celas.
Nec auxilii iam gratia nobilis
Obliuiosis pectoribus manet:
Ni forsan id flos eminentis
Ingenij eripiat tenebris
Pleno sonantum flumine carminum.
At chara tellus patria, si tibi
Insigne iucundumque quidquam
Temporibus fuit ante lapsis,
Nunc magna cantu gaudia libero
Testare & hymnis: Strepsiades enim
Quæsita in Isthmo dona saui
Pancratij tibi victor affert,
Firmis stupendo robore & obuia
Placente vultu lumina detinens,
Virtus nec eius fortis infra
Corporis est speciem decori.
Vtramque certant Aonides nigros
Fusæ capillos colla in eburnea
Clarare, & ornant mutuò se
Strepsiades, animaque largus
Homonymus, quem stirpis auunculum
Materna iniqui perculit impetus
„ Martis: sed audaces libenter

„ *Nomen emunt titulosque vita.*
Nam quisquis armorum exitialium
„ *Nimbis obortis sanguineam procul*
„ *A patria auertit procellam,*
„ *Quique suos tegit ense ciues,*
Stragemque turmis inicit hosticis,
„ *Is siue viuat seu cadat aspero*
„ *Mucrone, transmittit futuros*
„ *Egregium decus in nepotes.*
Nate ergo magni Patris Homonyme,
Rectè æmulatus Meleago Hectora
Vatemque Adrasti funeratos
Pro patria superumque templis,
Nuper calentem pectore spiritum
Efflasti, & aui robora floridi,
Exercitus dum fronte prima
Bella cies alacerque pugnas:
Qua parte pubes strenua maxime
Hostilis omnem militis impetum
Exceperat, palmæ ve dulcis
Spes agitans obitusve clari:
Nos verò quanuis magnanimum viri
Letum ingementes luximus, at modò
Neptune per te lux serena
Post hyemem, pluuiasque fulsit:
Vincente Achiuam Strepsiada manum
Quare merentem concelebro libens
Illique ludentem per auras
Necto comam folio virenti.
Sed ne ira Diuum, neu Nemesis potens
Victorem inique lædat amabilem

Tur-

Turbet ue, dum præsentis horæ
Dona manu fugitiua carpit,
Spesque inter altas atque humiles metas
Sensim quieto pergit itinere
Canos ad extremos. & atra
Busta die subeunda certo.
Nam grata vitæ lumina linquimus
" *Omnes, nec vllus sortis adhuc suæ*
" *Arcana præuidit: superbis*
" *Quique petit supera alta votis*
Pigris onustus corporis artubus,
" *Frustra ille tentat scandere lucidas*
" *Arces Olympi. quippe & olim*
Pegasus ore fremens rebelli
Heroa tergo depulit alite
Vano expetentem corde Iouis domos
Inuisere altas, & Deorum
Purpureo residere cœtu
Semperque quidquid dulce nimis boni
" *Rectique fines trasilit, exitus*
" *Sortitur infaustos, amica*
" *Mella nigro superante felle.*
At Phœbe pulchrum cui caput aureis
Fulget capillis, post decus Isthmium
Da Pythiam lucta è feroci
Strepsiadæ valido coronam.

CLEANDRO AEGINETAE
Ode octaua.

Quæ incipit,

Κλεάνδρῳ τὶς ἀλικίᾳ τε λύτρον.


LIANDRO, *ò iuuenes, eius & integra*
Aetati, en aliquis patris ad aureas
Sublimesque fores carmen amabile
Effundat pretium pulueris anxij
Aerumnaque grauis munus ob Isthmias
Pugnas & Nemeæ prælia debitum
Victori Cenopio. qui geminis locis
Certans, eximium bis reperit decus.
Aut si vos nimium pectore languido
Cessatis taciti, certè ego, sim licet
Mæstus, tot sociis in Salamina
Demersis acie Calliopem auream
Inuitare domum cogar, vti neque
Post defleta virum corpora fortium
Nostras vsque comas destituant noui
Flores, nec vehemens perpetuis dolor
Pascatur lachrymis: Sed modò Persici
Deiecta imperij compede liberum
Spargamus numeris dulcibus aera.
Pendens ille etenim Tantaleus lapis
Graiorumque diu verticibus minax,
Nunc gentes alias munere cælitum

Terreti

Terret, nec vaga vis intolerabilis
Martis iam Danaas exagitat domos.
Quare præteritæ cladis Achaicæ
Bellorumque dolor, pallidus & metus
Duri seruitii cor mihi deserit
Paulatim subita victus adorea:
Et semper quod adest dulce fruentibus
Amplecti melius quàm venientia.
Prospectare oculis flebilibus mala.
Fati namque dolo triste quid abditum
Ignotumque viris omnibus imminet,
Quod vitam spatio temporis implicat
Duri, sed grauium vulnera casuum
Sanantur, modò sit salua dolentibus
Libertas, neque spes aufugiat leuis.
Porro me in nitidis sedibus editum
Thebes flauicomæ Naidi conuenit
Æginæ Aonios nectere flosculos:
Natas namque sibi sustulit has senex
Asopus geminas, vltima pignora
Cultuque egregij corporis vtraque
Supremo placuit Cælicolum Ioui,
Qui Dirces liquidum propter aquæ caput
Thebem vrbi grauidæ, curribus aureis
Reginam imposuit, teque soror decens
Illius timidam trans mare deuium
In lucum Oenopiæ detulit insulæ,
Et zonam attonitæ dissoluit iacens
Sub ramis, vbi post vagiit Aeacus
Sanguis Nympha tuus, quem superis parẽ
Natumque impauidum fulminei patris

Sol vidisse hominum dicitur optimum:
Atque hinc Elysiis vallibus arbiter
Reddit iura piis integra manibus.
Eius nati alacres belligera manu,
Natorum & soboles firma valentium
Factis enituit fortibus impigra
Enses per medios ire ferociter,
Clamosasque acies & gemitum & neces.
Non illi ignea mens promptaque defuit,
Et frenans auidas sancta libidines,
Qua Diuum meminit cœtus adhuc frequens,
Post tot lapsa fuga saecla volubili.
Nam quondam omniparens Iuppiter & maris,
Rector nauigeri de Thetidis sacro
Certauere thoro, cùm sibi coniugem
Hic atque hic niueam Naiada posceret,
Saeuo vrente Deum corda cupidine.
Sed neutri thalamos Nereidis vaga
Immortale poli concilium dedit,
Audito Themidis carmine praescio,
Qua sic est superis fata silentibus:
Si pulchram Thetidem magnanimo Ioui
Neptunoue thori copula iunxerit,
Illinc progenies exoriens patre
Augusto, melior telum aliquod manu
Gestabit valido fulmine fortius,
Et quassante solum triplice fuscina:
Vt monstrant Lachesis stamina ferrea.
Tantum arcete nefas Caelicolae, & placēs

Nerine

Nerine proceris lecta cubilia
Mortalis celebret, mœstaque filium
Confossum in Phrygio puluere lugeat:
Postquam densa virũ strauerit agmina,
Vt Mauors manibus feruidus igneis
Palantumque sequax fulguris in modum,
Ac ne fata pigra sustineam mora
Diuinum æquorei coniugij decus
Peleo Graiugenæ pronuba destino,
Qui nunc ante alios ductor amans virum
Et diuum metuens Aemathiam regit,
Iamque hinc fama noui nuncia gaudij
Ad Cheirona procul semiferum volet
Aeterni sub humo fornicis incolam,
Nec nobis iterum dissidium graue,
Accendant Veneres Oceanitidis:
Sed cum plena polo Cynthia fulserit
Primum & connubij flammiferam facem
Ostendens nitido vesper ab æthere
Formosæ Thetidi sponsus amabilis
Currat Virgineum soluere vinculum.
Sic illa: at Superum concio sydera
Motu concutiens protinus annuit:
Nec sancti augurij fructus inutilis
In terras cecidit: nam memorant Iouem
Lenitum æquamini pectore nuptias
Spectasse æquoreæ Naiadis impares.
Priscorumque sonus clarior in dies

Hymno-

Hymnorum attonitis auribus influens
Mirantis populi perpetuò nouat
Virtutem Aeacidæ, Mysia qui sola
Latè pampineis consita vitibus
Infecit domiti sanguine Telephi
Nigro, qui patrias vnicus ad domos
Atridis geminis strauit iter patens,
Incestisque Helenem soluit amoribus,
Cæsis ense fero poplitibus Phrygum
Certantum Iliacis pellere mœnibus
Ipsum, dura nimis prælia Dardanis,
Inflammare trucem gramine Troico:
Non Memnon alia cuspide saucius,
Non Hector periit, nec proceres manu
Præstantes alij mille, quibus cauas
Sedes Persephones, antraque luridà
Pandens ille domus aura fauens sua,
Tum dulcem patriam, tum proprium genus
Spectandum innumeris gentibus obtulit.
Nec vero Aeaciden exanimum graues
Defecere modi, busta sed illius
Ardentesque rogos continuò nouem
Cinxere Aonides, & cita lugubri
Defleuere viri funera nænia.
Sic visum est superis impauidum ducem
Orbatum æthereis luminibus quoque,
Famæ & Pieriis tradere cantibus,
Vnde illum stygiis manibus inuidis
Sermo nunc etiam plurimis eripit:
Atque hic interitus me celebris monet

Vt

Vt curru volucri lauis Apollinis
Conscenso tumulum compositi modò
Nicoclis decorem pollice verberans
Dulcis fila lyræ: nam pugil hic comas
Nigrantes apio sæpe coercuit.
Felicis patriæ pluribus accolis
Fusis in stadio fortiter Isthmio
Expertisque manus intolerabiles,
Non huic dissimilis sanguine proximus
Cliander, soboles inclyta, cui pares
Annis ò Danai texite myrteum
Velamen capitis, sertaque mollia,
Partam ob Pancratii nuper adoream
In campis Ephyræ: terra sed hunc prius
Famosa Alcathoi gensque Epidauria
Frangentem iuuenes viderat æmulos,
Quæ se cuncta simul vatibus offerunt
Commendanda bonis prælia: non enim
Cliander viduus laudibus, aut piger,
Aetatem latebris texit inertibus.

Finis Isthmiorum.

FRANCISCO VALESIO

ANDEGAVENSIVM DVCI Charitatis vrbe nuper recepta victoriam adepto, eiusdem N. Sudorij Præsidis Ode,

ELEA nobis nuper Olympias
Cantata Graium, & vana ferocia;
Cursusque pernices equorum,
Et iuuenes pedibus fugaces.
Maiore multo nunc, Dea, spiritu,
Sumptaque ahena Melpomene tuba,
Victoriam diffunde Galli
Herculis ætherias in auras.
Vt magnus olim Iuppiter intuens
Ausos gigantas addere montibus
Montes, & exæquare summo
Thessaliæ iuga opaca cælo:
Non ille promptas Cælicolum manus
Sæuos in hostes protinus impulit
Duxitque, sed Phlegræa primùm
Fulminibus tremefecit arua.
Queis icta Tellus mater, & intimo
Concussa motu terrigenas suos
Conspexit irritata Diuum
Numina suppliciter precantes.
Sic Charitatis mœnia non prius
Calcanda Gallo tradita militi.

Quam

Quam tela Franciscus rubente
Multa manu iaculatus altas
Disiecit arces. Hunc superum Pater
Crebro tonantem è nubibus audiens
Laudauit, agnouitque vires
Ipse suas Phrygio in nepote.
Deducta proles ab Ioue Dardana,
„ Francique Reges Hectoreum genus?
Frustraque diuinis repugnat
„ Imperiis hominum potestas.
Tentata multis quod tibi ciuitas
Submisit vni turrigerum caput,
Francisce, magnum est: sed ferocem
„ Longè animum superare maius,
Hostique victo parcere. Sæuiunt
„ Solæ in iacentes degeneres feræ:
Quod fortiter strauere, numquam
„ Dilacerant animi Leonum.
Non imperantem laurea sic decet
„ Victrix, coronæ non decus aureæ,
Vt querna frons clementis index
„ Militiæ populique salui.
Ferro recisæ sæpius arbores
„ Cælum renatis frondibus occupant:
Hostilibus plerumque bustis
„ Exoritur clypeata pubes.
Per te remansit virginibus pudor,
Seruata matrum corpora, non viris
Erepta vita est, non furenti
Templa Deum violata flammæ.
Hac arte quondam fretus auus tuus

Fran-

Franciſcus arces attigit igneas,
Franciſcus acceptus Camænis,
Et citharæ fidibuſque notus.
Rupella diris ſed itionibus
Aegra, & tumultu feruida bellico,
Exceperat ſtridente porta,
Tiſiphonem Stygiamque Erinnyn.
Illa inquietum per populum vaga
Latè ſceleſtas iam tulerant faces,
Iam verterant fas omne ruptis
Legibus imperioque fracto.
Deiecta paſſim lilia cerneres
Tranſmiſſa ab alto cælitus æthere
Inſignia, & Regis miniſtros
Mille feris manibus peremptos.
Vt Caurus ater, quum mare proximum
Turbauit vndis aſſilientibus;
Vtrinque diuexata nauis
In ſcopulos peritura fertur:
Iactata ventis ſic popularibus
Vrbs æſtuabat, naufragium timens
Iraſque vindictamque læſi
Principis, horribileſque faces.
Auguſta ſed quum ſe facies patris
Regnantis vltro ciuibus obtulit:
Sol, qui nocentes per tenebras
Exciderat, rediiſſe viſus,
Iubarque latè ſpargere fulgidum.
Non ille culpæ parcere neſcius
Tot ſontibus tormenta & vncos
Propoſuit gladioſque & ignes:

Multæ

Multa at precantum millia contuens
Abiecta turpi flebiliter solo,
Sic ingementes ipse cœtus
Mitibus alloquis leuauit:
Pœnis nocentes plectere Regium,
„ *Et frena prauis addere gentibus,*
Errata condonare, & iram
„ *Ponere, res Ioue digna summo:*
Qui luce sanctos lustrat & impios,
„ *Ambos eodem contegit aere,*
Vtrisque communem parentis
„ *Frugifera gremium recludit.*
Me concitatus si dolor auferat,
„ *Assueta sceptris & violentia:*
Hæc illico exæquata terræ
„ *Cuncta ruant dominante flamma:*
Prædamque sauis miles ab ignibus
„ *Audax inulta diripiat manu.*
Humana sed seruare nostrum est,
„ *Perdere diluuij vel æstus.*
Modò insolentis sanguine Flandriæ
Vindicta tinxit Cæsareas manus.
Ciuilis expertem cruoris
Me iuuat imperitare, Franci.
Sic fatus ille est, publica leniens
Sermone blando vulnera: nec virum
Ingrata gens delebit vnquam
Magnanimi benefacta Regis.

IN

IN OBITVM C. V. IOHANNIS Thuani, quum viueret supplicum Libellorum in Regia Magistri, Ode eiusdem N. Sudorii Præsidis Inq.

,, QVICVNQVE vere magnanimus sapit,
,, Is spes inanes, gaudiaque & metus
,, Plebi relinquens, clam beata
,, Morte vehi super astra gestit,
,, Et totus extra se positus foras
,, In vitæ honestum prominet exitum.
,, Terrena nam quid membra & artus
Corporei nisi densa nubes,
,, Solis supremi quæ iubar eripit
,, Cœleste nobis, donec inutili
,, Languemus æuo, noxiisque
,, In latebris residemus ægri?
,, Conclusa certo fine beatitas
,, Breuique puncto sufficiens sibi
,, Non tempore augetur, sed eius
,, Decipimur variante forma.
,, Vixisse præstat participem sacræ
,, Virtutis vno Sole volubili.
,, Quàm sæcla per mille inquinatam
,, Opprobriis agitasse vitam.
Scis ista charis rapte parentibus,
Thuane, nuper: quum tua adhuc vigens
Floreret ætas, atque cursum
Vix

Vix medium properans teneret.
Tu nunc corusci vertice in atheris
Latè micanti sydere fulgidus
Diuumque concluis iacentem
Sub pedibus premis altus orbem,
At quum superstes aera duceres
Ciuilitatis cultor amabilis,
Numquam impares æquosve supra
Flauicomum caput extulisti.
Non tot curules, non genus & domus,
Non affluentes diuitiæ tibi
Præcordia impleuere vanis
Spiritibus tumidoque fastu.
Te nemo dextrā tendere promptior,
Nemo benigni largior auxili:
Si quando tempestas reiecit
Ad te aliquos opis indigentes,
Et pænè sæuis fluctibus obrutos
Negotiorum, quæ miserabilis
Fert vita vasto nauigantum
Equore deterioris æui.
Nō vnda conchas cærula tot lauat
Non æthra signis tot micat igneis,
Fidos quot illustris Thuanus
Officiis animos deuinxit.
Nunc ergo cessent artifices manus
Recisa duris marmora rupibus
Effingere, in lucemque manes
Exanimi reuocare saxo.
Cessent sepulchri flebilis arduam
Molem

Molem futuris ponere sæculis,
Nam busta sopiti Iohannis
Viuida sunt memores amici.
Quos inter ipse hunc assiduè canam,
Seu Luna, seu Sol occupet ætheris
Conuexa, Dircæsque semper
Fonte pios cineres rigabo.
Dicam THVANI *membra decentia*
Dimensa docta singula regula
Vultumque, perfusamque dulci
Egregiam faciem nitore:
Clarasque ocellis ingenitas faces
Montrasse quantum rerum opifex queat
Insigne quum quiddam nouumque
Terrigenis polit arte summa.
Dicam decoris artubus insitum.
Formosiorem longe animum, neque
Præclara consectari inertem,
Nec vitiis procul ire tardum.
Cantabo amorem numinis & metũ
Addam tenacem polliciti fidem,
Et cuncta quæ spectata nobis
Flere nefas, meminisse sanctum.

FINIS.

COMMENTARIVS

IN NEMEA PINDARI.

Ad Amplissimum virum Philippum Huraltum CHIVERNIVM, Galliarum Procancellarium,

Nicolao Sudorio, Inquisitionum Præside, Auctore.

AD PRIMAM ODEN.



HROMIVS, quem hoc carmine Poeta celebrat, princeps Siculus fuit Hieroni Regi ob animi magnitudinem, & rei militaris peritiam ita gratus & acceptus, vt cum Hiero Aetnæ nouæ Coloniæ à se deductæ præfecerit, vnde Chromius Aetnæus præconis voce denominatus est.

Ortygia Alphei requies.

SYRACVSARVM olim tanta vrbs erat vt eam Cicéro oratione sexta in Verrem ex quatuor maximis vrbibus constare dixerit. Strabo verò lib. 6. Pentapolin appellat, hoc est ciuitatem ex quinque vrbibus

compositam: earum partium vna erat maxime nobilis, Insula, siue Ortygia, nuncupata. in ea visebatur domus Hieronis Regis, ædes Dianæ, templum Mineruæ, & præterea Arethusa fons aquæ dulcis piscium plenissimus, qui quoniam in mare Siculum fluuium emittebat, vt ait Strabo, Poetæ fabulati sunt Alpheum Elidis amnem meare subter mare, & è Græcia in Sicilia deferri, tandemque post longissimos errores in Arethusæ nymphæ vlnis & amplexibus conqniescere. Eam ob causam Pindarus Ortygiam Syracusarum insulam partemque Alphei fluminis sedem & requiem vocat: quem Virgilius imitatus ita scibit, tertio Aeneidos,

Sicanio prætenta sinu iacet insula contra
Plemmyrium vndosum, nomen dixere priores
Ortygiam, Alpheum fama est hunc Elidis amnem,
Occultas egisse vias subter mare, qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur vndis.

Quum, Chromi, atat. tuam.

Disticon hoc loco Poëtæ adiecimus, quia aliter latinæ aures, qnarum iudicium sanum

ſanum eſt & ſagax, Poetam abruptè & præciſè loquutum exiſtimaſſent: quamuis reuera ſententia auctoris continua eſt, & cohæret. Ideò enim Pindarus in pueri Herculis laudes digreditur, vt lector intelligat Chromij principis pueritiam cùm prima Herculís ætate comparari poſſe. Quemadmodnm enim Hercules infans mirabiliter geminos angues eliſiſſe dicitur: ſic & Chromius princeps puſio adhuc & imberbis ſnb Hierone Rege multis in præliis ſtrenuè dimicauit, ſicut Pindarus ipſe oſtendit in noua Nemeorum Ode, Chromium eundem alloquens his verſibus:

Qualis Dardanidæ floruit Hectoris
Virtus, lenis vbi Xanthus humum rigat;
Talem te puerum Marticolam, Chromi,
Lux circumdedit aurea,
Etori ad viridem fluminis aggerem.

AD II. ODEN.

Pancratiaſta, &c.

PANCRATIASTES olim apud Græcos dicebatur ὁ ταῖς χερσὶ καὶ ποσὶ μαχόμενος. id eſt, qui pedibus manibuſque & toto corpore decertabat, vt author eſt Suidas.

Carmina Homerida, &c.

HOMERIDAE apud Græcos vocabantur, qui ſpretis ferè omnibus aliis artibus & ſcientiis, poetiſque aliis neglectis, ſeſe vnius Homeri interpretationi & imitationi addicebant. Quales plurimi olim in Græcia ab Homero mortuo viui ipſi alebantur, vt ait Plutar. Sed eorum inſtitutum omnium apertiſſimè Plato demonſtrat in Dialogo qui Ion, ſiue de Iliade inſcribitur. Verba ſunt Platonis, οἶμαι ὑπὸ ὁμηριδῶν ἄξιος εἶναι χρυσῷ ςεφάνῳ ςεφανωθῆναι. ΣΩ πότερον περὶ Ομήρου μόνον δεινός εἶ, ἢ καὶ περὶ Ησιόδου καὶ Αρχιλόχου. ΙΩΝ. οὐδαμῶς. ἀλλὰ περὶ Ομήρου. ἱκανὸν γὰρ μοι δοκεῖ εἶναι. i. Illum me eſſe prædico, quem Homeridæ corona aurea donare debeant. Socr. Tunc tantummodo in Homeri interpretatione excellis, an etiam Heſiodum & Archilochum intelligis? Ion. Homerum ſolùm, is enim mihi ſufficit vnus pro omnibus.

Diuiſa nuper te Salamis.

TIMODEMVS victor, quamuis natione Athénienſis eſſet, tamen colonia deducta ab Athenienſibus, in inſulam Salamina ipſe cum multis aliis agri partem acceperat eo in loco, laremque conſtituerat. Hac ratione motus Pindarus robur Timodemi Pancratia-

ftæ comparat viribus Aiacis Telamonij, Græcorum omnium pugnacissimi, qui in eadem insula Salamine educatus fuerat, vt ostendit Horatius de Teucro Aiacis fratre ita scribens:

Teucer Salamina, patremque
Quum fugeret, tamen vde Lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona.

AD III. ODEN.

Oenopiam.

AEGINAM alio nomine Oenopiam appellauimus, sequuti Pausaniam libro 2. & Ouidium, cuius hæc verba sunt, septimo Metam.

Oenopiam veteres appellauere, sed ipse
Aeacus Aeginam genitricis nomine dixit.

Atque ideo in sequenti ode, vbi Pindarus ait
Ἐξύφαινε μέλος περιλημμένον
Οἰνώνα τε καὶ κύπρῳ.
Non *οἰνώνα*, vt emendati etiam codices habent, sed *οἰνώπα* legendum existimamus.

Asopias.

ASOPVS fluuius est in Bœotia patria Pindari. Est & alius Asopus in Aegina eiusdem nominis.

Natus Aristomenis.

HOC est, Aristoclides.

Aegina quorum prima &c.

MIRABITVR fortaſſe quiſpiam, cur & in hac ode & in ſequentibus multis Pindarus Aeginam potius & Aeacidas laudet, quam vllum ex victoribus. Sed hoc ideò à Poëta factum eſt, quia, vt Thucydides & Pauſanias ſcribunt, non tantum victor, ſed victoris etiam patria & ciuitas in publicis Græciæ certaminibus coronabatur. Præterea hæc omnia Pindarus ſcripſit, quum recens adhuc memoria eſſet pugnæ naualis Salaminiæ, in qua Græci concordes totius Barbariæ fluctum ſuſtinuerant. Quum autem hoc prælium committeretur, ait Plutarchus in vita Themiſtoclis, viſos à Græcis Heroas pro ſe acerrimè dimicantes, quos illi Aeacidas eſſe ſuſpicati ſunt, tandemque fuſis fugatiſque Perſis communi Græcorum iudicio, vel, vt ſcribit Diodorus Siculus, Lacedæmoniorum factione, inter homines ſingulos fortitudinis palmam Themiſtocles tulit, inter populos Aeginetę. Verba ſunt Plutarchi in Themiſtocle: Πόλεων τὴν Αἰγινητῶν ἀριστεῦσαι φησὶν Ἡρόδοτος. Θεμιστοκλεῖ δὲ τὸ πρωτεῖον ἀπέδοσαν ἅπαντες. id eſt, in pugna Salaminia è ciuitatibus Græcis maximè Aeginetarum fortitudo enituit, ex ducibus primas omnium opinione Themiſtocles obtinuit. Herodotus verò Plutarcho longè

longè antiquior in Vrania de eadem re ita scribit: ἐν τῇ ναυμαχίῃ ταύτῃ ἤκουσαν Ἑλλήνων ἄριστα Αἰγινῆται, ἐπὶ δ' ἀθηναῖοι ἀνδρῶν δὲ Πολύκριτος τε ὁ Αἰγινίτης καὶ ἀθηναῖος Θεμιστοκλῆς. Εὐμένης τε ὁ Ἀναγυράσιος καὶ Ἀμεινίης παλληνεὺς, ὃς καὶ Ἀρτεμισίην ἐπεδίωξε. i. In prælio nauali Salaminio inter Græcos omnes maximè laudati sunt Aeginetæ, post illos Athenienses, ducum verò præstantissimi fuisse memorantur Polycritus Aegineta, Themistocles Atheniensis, Eumenes Anagyrasius, Amenias Palleneus, qui Reginam Artemisiam fugientem insecutus est. Quod si ita est non absurdè Pindarus hoc in carmine aliisque in locis Aeacidis & Aeginetis præcipuum decus honoremque tribuit.

Hæc ipsa cælo sæpe moram trahit.

Hic locus de Aquila illustrari potest his verbis Apuleij lib. 1. floridorum: Aquila cùm se altissimè sublimauit, paulisper cunctabundo volatu pænè eodem loco pendula circumtuetur, & quærit quorsus potissimum in prædam sese ruat fulminis vice, de cælo: simul campis pecora, simul montibus feras, simul homines vrbibus vno obtutu cernens, vnde rostro transfodiat, vnde vnguibus inuncet. vel agnum incuriosum, vel leporem

meticulosum, vel quodcunque esui fors obtulit. Et Plinius de re eadem lib. 10. Aquila librans ex alto sese, visoque in mari pisce præceps in eum ruit.

AD IIII. ODEN.

Namque vbi claro tegitur s. natus Iphicli.

ID est, Iolaus. Etenim Iolaus Iphicli filius Thebis vixit & sepultus est, vt scribit Hesiodus in scuto Herculis.

Insulam Euxini mar. albic, Flauus Ach.

ALBICANTEM Insulam diximus in mari Euxino sitam, quæ à Geographis Leuce, hoc est alba, dicitur. De hac ita scribit Pompo. Mela lib. 2. Paucæ in Ponto insulæ sunt. Leuce Borysthenis ostio obiecta parua admodum, & quod Achilles ibi situs est Achillæa cognominatur.

Visere Gades.

GADES, vt Pomponius Mela & Plinius tradunt, insula est inter Hispaniam & Africã sita, vltra quam tempore Pindari pauci adhuc nauigabant. Nec procul ab ea insula ostenduntur columnæ Herculis, siue montes duo, Abyla & Ga pe nominati.

Clio in Europam, &c.

Id est, noli vlterius progredi, sed in Europam redi relicta Africa, quasi diceret, relictis antiquis fabulis Timasarchum victorem cane.

Columnam ponere rectam.

Colvmnas antiqui in fortium virorum honorem erigebant. Nec singulis tantùm hominibus talis honos tribuebatur, sed vniuersi exercitus, quo in loco vicerant, ibi columnam vel arboris truncum, victoriæ indicem, statuebant; qui quidem τροπαῖον dicebatur παρὰ τὸ τρέπειν, quod significat in fugam vertere. Scribit tamen Plutarch. lignea potius quam lapidea fuisse antiquorum tropæa, vt ostenderent minimè immortales debere esse hominum inter se inimicitias. De hac re Thucydides sæpe in historiis.

Memor ante vitæ.

Diximvs, memor ante vitæ, more Græcorum, qui obiicere consueuerunt, τὸν πρὶν βίον, hoc est πρότερον βίον. Nec verò alium imitati sumus quam Virgilium, cuius hic versus est,

O socij, neque enim ignari sumus antè malorum,
id est, priorum malorum.

Verùm adhuc sermone potens.

INDICAT Pindarus Milesiam non tantummodo palestræ magistrum, sed etiam Rhetorices doctorem fuisse ac perfectum gymnasiarcham, qui iuuenum & corpora & ingenia simul exerceret.

AD V. ODEN.

PYTHEAS victor Pancratiastes petiit à Pindaro, vt ipse hymnum caneret: Pretium Poëta grande flagitauit, quo audito, dixit Pytheas se minori iactura statuam æneam in Nemea positurum, sicque discessit iratus. Sed cùm posteà idem Pytheas ab amicis admonitus pretium, quod Poëta petierat, vltrò ei offerret, reconciliatus Pindarus, non grauatè victoriam illius hoc carmine celebrauit. In cuius tamen initio memor offensę victoris auaritiam leuiter castigare & perstringere videtur.

Decantare pudet post nef.

TELAMON & Peleus Aeaci filij fratrem Phocum in rixa occiderant: quam ob causam vterque ex insula Aegina fugere coactus,

ctus est, vetustissimo Græcorum more, qui cædem etiam imprudentem perpetuo aut temporali exilio puniebant. Ac Telamon quidem in insulam Salamina se contulit, Peleus verò in Thessaliam: In qua, quemadmodum ait Ouid.

Sumpsit ab Aemonio purgamina cædis Acasto.

Regina Hippolyte.

HIPPOLYTE Acasti vxor Peleum hospitem sollicitauit ad stuprum, tandemque recusantē apud maritum calumniata est, quumque Peleus eam ob causam in vitæ periculum incidisset, seruatus est à Ioue, propter egregiam continentiam Thetidis connubio decoratus, qua de re sic Horatius:

Narrat panè datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolytē dum fugit abstinēs,

Vnde & nos aliquando occasione sumpta, sic lusimus latino epigrammate:

Reginas nimium casti spreuere rogantes,
Bellerophon, Peleus, tristis & Hippolytus.
Bellerophon, deiectus equo per inane volanti
Mæstitia Alæo tabuit in nemore.
Pelea in exilio consumpsit amara senectus:
Post cineres lectos, fortis Achille, tuos.
At lacer Hippolytus pœnas dedit vnus amori,
Quas tres ingrati soluere debuerant.

O socij, neque enim ignari sumus antè malorum,

id est, priorum malorum.

Verùm adhuc sermone potens.

INDICAT Pindarus Milesiam non tantummodo palestræ magistrum, sed etiam Rhetorices doctorem fuisse ac perfectum gymnasiarcham, qui iuuenum & corpora & ingenia simul exerceret.

AD V. ODEN.

PYTHEAS victor Pancratiastes petiit à Pindaro, vt ipse hymnum caneret: Pretium Poëta grande flagitauit, quo audito, dixit Pytheas se minori iactura statuam æneam in Nemea positurum, sicque discessit iratus. Sed cùm posteà idem Pytheas ab amicis admonitns pretium, quod Poëta petierat, vltrò ei offerret, reconciliatus Pindarus, non grauatè victoriam illius hoc carmine celebrauit. In cuius tamen initio memor offensę victoris auaritiam leuiter castigare & perstringere videtur.

Decantare pudet post nef.

TELAMON & Peleus Aeaci filij fratrem Phocum in rixa occiderant: quam ob causam vterque ex insula Aegina fugere coactus,

ctus est, vetustissimo Græcorum more, qui cædem etiam imprudentem perpetuo aut temporali exilio puniebant. Ac Telamon quidem in insulam Salamina se contulit, Peleus verò in Thessaliam: In qua, quemadmodum ait Ouid.

Sumpsit ab Aemonio purgamina cædis Acasto.

Regina Hippolyte.

HIPPOLYTE Acasti vxor Peleum hospitem sollicitauit ad stuprum, tandemque recusantē apud maritum calumniata est, quumque Peleus eam ob causam in vitæ periculum incidisset, seruatus est à Ioue, propter egregiam continentiam Thetidis connubio decoratus, qua de re sic Horatius:

Narrat panè datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolytē dum fugit abstinēs,

Vnde & nos aliquando occasione sumpta, sic lusimus latino epigrammate:

Reginas nimium casti spreuere rogantes,
Bellerophon, Peleus, tristis. & Hippolytus.
Bellerophon, deiectus equo per inane volanti
Mæstitia Alæo tabuit in nemore.
Pelea in exilio consumpsit amara senectus:
Post cineres lectos, fortis Achille, tuos.
At lacer Hippolytus pœnas dedit vnus amori,
Quas tres ingrati soluere debuerant.

AD VI. ODEN.

Vt nunc latus ager.

AIT Homerus ex gentibus humanis modò has modò illas fieri illustres, atque ideò nobilium stemmata arborum foliis comparat quorum hęc decidunt, illa virescunt & renascuntur, sicuti ostenditur his versibus.

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
Φύλλα τὰ μὲν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δὲ ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίνεται ὥρη.
Ὥς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει, ἡδ' ἀπολήγει.

Vt folia arboribus pronos mutantur in annos.
Atque hæc immitis moriuntur frigore bruma,
Illa autem sylvas Zephyris redeuntibus ornant:
Sic sæpe humanæ mutantur stemmata gentis,
Atque hæc clara recens oritur domus, occidit illa.

PINDARVS verò vnam eandemque gentem modò clarescere ait, modò vilescere & obscurari. Idque ipsum in Alcimidæ domo accidisse testatur, in qua Soclides otiosus fuit. » Praxidamas filius soclidæ laboriosus & vi-

& victor, filius Praxidamantis pater Alcimidæ quieuit, Alcimidas veró luctator victoriam adeptus est. Nec dissimilis sententia legitur in Ode xj. vbi ita Poëta scribit:

Quanquam belligera diu
Interrupto fuit gentis adorea,
Vnum donec & alterum
Inter nos oriens emicuit iubar.

Nautis Pieridum vagis.

In Greco codice legitur vulgò,

Ἴδια ναυστολέοντες ἐπικώμια
πιερίδων ἀρόταις.
Suppeditantes encomia propria
Pieridum aratoribus.

Quod quia absurdum est, & parum conuenit præcedenti voci ναυστολέοντες, non ἀρόταις legendum existimamus, sed ἐρέταις quæ vox remiges, siue nautas, magis apposité significat.

Noctiuagos choros.

ANTIQVI nocturnos choros agitabant & peruigilia Deorum honoribus consecrata, vt idem Pindarus auctor est in his versibus Olympiorum:

Tunc noctis tenebras æthereis plagis
Pleno dispulerat Cynthia lumine,
Reddebatque hominum multiplices sonos

Et

Et laudes tremulum nemus,
Clarorum iuuenum facta remugiens.

Videtur autem mos ille, vt cæteri pænè ritus sacrorum, ab Aegyptiis fluxisse ad Græcos. Ita enim scribit Herodotus in Euterpe, de nocturnis Aegyptiorum peruigiliis loquens, ἐς Σάιν πόλιν ἐπεὰν συλλεχθῶσι· τῇσι θυσίῃσι ἐν τῇ νυκτὶ λύχνα καίουσιν ἅπαντες ἔμπλεα ἐλαίου. καὶ τῇ ἑορτῇ, οὔνομα κέεται λυχνοκαΐη.

Quum quotannis in vrbem Sain multæ Aegyptiorum myriades conuenerunt ad sacra nocturna facienda, tum omnes simul congregati lucernas accendunt, quæ tota nocte lucent. Festumque huiusmodi vocatur lucernarum accensio. Immò per totam Aegyptum, qui ab illa vrbe absunt, nocte eadem lucernas quoque ardentes in domibus habent. Porrò quod Græci ab Aegyptiis acceperat, Romanis posteà tradidere. Etenim Liuius in historiis peruigiliorum nocturnorum sæpe mentionem facit.

Occidente triennio.

ISTHMIA post triennium agebantur, quemadmodum Olympia post quinquenniū, quod Romani imitati lustrum suum quinque annorum esse voluerunt, eamque ob caussam nos sæpe Olympiadem lustri nomine expressimus.

Vbi

Vbi trux leo Alcidæ domitus.

LEONEM Hercules domuit in Nemea regione Argolica, qua de re sic Pausanias lib. 2. A Cleonis Argos duæ viæ ducunt, quæ ad Tretum est angusta, montibus concluditur. In illis ipsis montibus Leonis Nemæi specus ostenditur, à quo vicus Nemea non longius abest, quam stadia quindecim: sacra Ioui Nemæo Argiui in Nemea faciunt, & armatis viris cursus certamina proponunt: in ipso Nemeorum conuentu, qui per brumæ dies habetur.

Frond. iugi sub radice Phliasii.

PHLIVNVS vrbs est in Peloponneso non Arcadum sed Doriensium, eaque non procul abest à Sicyone, Argis, Cleonis, & regione vicoque Nemea, quemadmodum scribit Pausan. lib. 2.

Quin nuper pueros inter amab.

HOC ideò dicitur, quia apud Græcos in publicis conuentibus pueri cum pueris, & viri cum viris separatim certabant, vt hæc Pindari verba ostendunt in ode 9 Olymp.
Ἄργει τ' ἔσχεθε κῦδος ἀνδρῶν,
Παῖς δ' ἐν Ἀθάναις.

Tài

Tu virumq; Argiuo domitor theatro.
Cecropis campo, tibi cessit olim
Iunior ætas.

PORRO Græci imberbes παῖδας appellabant, barbatos autem vsque ad tricesimum annum νέους ἢ νεωτέρους. Qui autem 30. annum attigerant propriè dicebantur ἄνδρες: neque ante eam ætatem quisquam publici consilij particeps fieri poterat. Vnde, vt ait Xenophon lib. 1. ἀπομν. Quum 30. tyranni prohibuissent ne Socrates cum iuuenibus dissereret, quæsissetque Socrates qui propriè iuuenes dicerentur: respondit tyrannus Charicles νέους εἶναι οἷς βουλεύειν οὐκ ἔξεστι καὶ νεωτέρους τριάκοντα ἐτῶν, id est Iuuenes esse qui nondum in senatum ingredi possent, nec 30. annum attigissent.

AD VII. ODEN.

Aeginetę Pentathlo.

QVINAM olim essent in Græcia Pentathli, ex his quæ sequuntur intelligi potest. Inter eos, qui certabant in publicis certaminibus, quidam luctam solummodo, quidam cursum, quidam saltum exercebant, erantque singuli in singulis rebus perfectissimi. Quidā vere dicebantur Pentathli, qui certabāt quinque simul certaminibus, disco, sagitta, saltibus,

tibus, lucta, fuga. Atque ij quum in omnibus ſimul mediocriter exercitari eſſent, ab aliis ſingulis in ſuo artificio perfectis & conſummatis vincebantur. Talibus athletis Plato in dialogo, qui ἐρασαὶ inſcribitur, eos comparat, quos uulgus πολυμαθεῖς appellat, quique multarum ſimul rerum mediocrem & vulgarem tantummodò cognitionem adepti ſunt, homines oſtentationi potius, quàm humanæ ſocietati ſeruientes. ægrotus enim, vt ait ille, medico, litigator iuriſperito, œconomus arthitecto, non illo miſcellaneo omnium artium profeſſore vtitur, quarum vnam tantummodo perfectè noſſe & profiteri difficile eſt. Verba ſunt Platonis quæ ſequuntur, Δοκεῖς μοι λέγειν τὸν φιλόσοφον οἷοι ἐν τῇ ἀγωνίᾳ εἰσιν οἱ πένταθλοι πρὸς τοὺς δρομέας καὶ τοὺς πελταστάς. καὶ γαρ ἐκεῖνοι τούτων μὲν λείπονται κατὰ τούτων ἆθλα, καὶ δεύτεροί εἰσιν, τῶν δ᾽ ἄλλων αθλητ πρῶτοι, καὶ νικῶσιν αὐτούς.

Videris mihi philoſophum comparare Pentathlo, etenim pentathlum & curſor & luctator excellens ſuperat in ſuo quiſque exercitio: ſed Pentathlus rurſum vincit illos omnes, qui in quinque ſimul certaminibus tolerabiles habentur.

Ilithya.

INCIPIT Pindarus ab inuocatione

diuæ

diuæ Ilithyæ: quæ puerperas partúsque curat, quia illius ope & auxilio Thearion senex, sobole iam prope desperata, susceperat Sogenem filium victorem futurum.

Fama Neoptolemi talis.

AEGINETAE Pindaro iniquiores facti erant, quod is de Pyrrho siue Neoptolemo Achillis filio parum honorificè loquutus diceretur: quasi Pyrrhus templi Delphici diuitias expilare cupiens, iure ab æditiuis cæsus esset. Vt hanc calumniam diluat Poeta, Herois fortitudinem & facta celebrat, ac præcipuè conatur ostendere, cur Neoptolemus in Apollinis Delphici sacrario obtruncatus & sepultus fuerit.

Namque vt peractus long.

SENSVS est huius loci: Post Troianum bellum decennale Pyrrhus Achillis filius omissa Thessalia contulit se in Epirum, ibique regnauit, quod ipsum scribit quoque Pausanias lib. 1. his verbis, Pyrrhus primus Ilio exciso, omisso in Thessaliam reditu in Epirum appulit, atque ibi, Heleni vatis monitu, consedit. Virgilius quoque idem testatur lib. 3. Aeneid, his versibus:

Littoraque Epiri legimus, portumque subimus.

Hic

Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum Graias regnare per vrbes
Coniugio Aeacidæ Pyrrhi sceptrisque potitum.

Immortale tamen.

Hoc ideo dicit Pindarus, quia omnes Epirotarum Reges sese à Pyrrho Achillis filio oriundos esse dixerunt, vsque ad Pyrrhũ illum, qui bellum pro Tarentinis contra Romanos gessit. Cuius in vita sic Plutarchus de ea re loquitur, Θεσπρωτῶν καὶ Μολοσσῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἱστοροῦσι φαέθοντα βασιλεῦσαι, χρόνῳ δὲ ὕστερον Νεοπτόλεμος ὁ Ἀχιλλέως, χώραν τε κατέσχεν, καὶ διαδοχὴν βασιλέων ἀφ' αὐτοῦ κατέλιπε πυῤῥίδας ἐπικαλουμένους.

Thesprotis & Molossis post diluuium Phæethontem imperasse aiunt, sed longò post tẽpore Neoptolemus Achillis filius & regionẽ illã occupauit, & à se descendentium Regum Epirotarum longam seriem reliquit, qui Pyrrhidæ cognominati sunt. Ab iisdem regibus Aeacidis per maternam stirpem Alexander Magnus originem duxit, teste eodem Plutarcho. Qui quidem Alexander, quum Thebanis victis eorum vrbem

dirui funditus incendique iussisset, memor tamen à Pindaro Thebano Poëta maiores suos Aeacidas diuinis versibus illustratos, vnicam eam domum incendij & ruinæ immunem esse voluit, in qua olim Poëta habitauerat, addito & adscripto foribus hoc elogio: **Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ στέγαν μὴ καίετε**, Cauete omnes ne Pindari Poëtæ domum incendatis, vt scribit Dion Chrysostomus.

Atque hic cruentam donec host.

VIDETVR hocloco Pyrrhus à sacerdote Apollinis occisus in rixa. Alij tamen eum ab Oreste propter Hermionem sibi ereptam obtruncatum volunt: quos Virgilius sequutus est his versibus,

Ast Pyrrhum ereptę magno inflammatus amore
Coniugis, & scelerum furiis agitatus Orestes
Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

Aegina in media.

Hæc dicuntur à Pindaro quasi versus in insula Aegina pronuntientur. In qua quidem scribit Pausanias lib. 2. montem Panhellenium esse Iouis templo insignem per Aeacum olim dedicato.

Fidus manentis.

Hoc ideo dicit Pindarus, quia Sogenes victor habitabat magnificas ædes in medio Herculis luco extructas: atque illa inclyti herois vicinia in certamine adiutus videbatur.

Sacrorum auitæ gaudeant custodia.

HINC deprehenditur sacerdotia olim apud Græcos hæreditaria fuisse, sicut & apud Aegyptios: qua de re sic Herodotus in Euterpe, ἱρᾶται δὲ οὐκ εἷς ἑκάστου τῶν θεῶν ἀλλὰ πολλοὶ, τῶν εἷς ἐστιν ἀρχιερεύς. ἐπειδάν δέ τις ἀποθάνῃ, τούτου ὁ παῖς ἀντικατίσταται.

APVD Aegyptios plures sunt vnius Dei sacerdotes, quibus omnibus præest vnus. cùm autem eorum aliquis decessit, filius in defuncti locum substituitur.

Iouis Corinthon.

MEGARENSES coloni Corinthum metropolin suam aliquando offendere. Ideò missi sunt ad Megarenses Corinthiorum legati, qui futili atque inani oratione sæpè idem inculcantes ad extremum adiecerunt, Has omnes iniurias grauiter vlciscetur sancta Iouis Corinthus. Postea cum prælio commisso victi essent Corinthii à Megarensibus,

rensibus, illi hostem persequentes ferociter inclamabant, Feri miles, feri sanctam Iouis Corinthum. Hinc prouerbium natum est in eos, qui superfluo ac redundante sermone sæpè eodem recidunt. Cui proximè accedit illud Horatij:

Ridetur chorda qui semper oberrat eadem.

AD VIII. ODEN.

Sancte formarum decor.

PVLCHRITVDINEM Poëta quasi Dinias alloquitur: quia Dinias victor inter cæteras dotes corporis pulchritudine excellebat. Nec verò mirum est formæ elegantiam à Poëta laudari, quum philosophi ipsi eam prolixo sermone aliquando celebrent. Certè Plato ait in Phædro, animam hominis quum in cælo habitat assiduè defixam esse in contemplatione veritatis, iustitiæ, temperantiæ, sapientiæ, & pulchritudinis. quũ verò, vt ait ille, eadem anima Dei supremi voluntate in corpus humanum decidit, quia neque iustitiam, neque veritatem, neque cæteras virtutes oculis corporeis contemplari potest: ideò & recta institutione & longa assuetudine homo indiget ad res huiusmodi desiderandas. sed pulchritudinem, quæ & in cælo & in terris splendida est natura, statim

tim anima nullo docēte neque admonēte per oculi lucidam fenestram aspicit, qua conspecta, pennas, qnas in terram decidens amiserat, pulchritudinis alimento sibi enasci iterum non sine aliquo dolore sentit, quemadmodum infantium dentes cum dolore nascuntur. Sed postquam longo pulchritudinis quasi haustu & alimento plumæ animæ renatæ & redditæ sunt, tum illa pennis adiuta facilè in altum erigitur, & in cælum quasi auis euolat. Hæc in Phædro Platonis sententia est de pulchritudine. at Tyrius Maximus Platonis sectator pulchritudinem corporis floribus arborum comparat: quemadmodum enim, inquit, suauitas & pulchritudo florem nobis fructuum vbertatem promittit, sic corporis vernantis egregia species tandem aliquando in homine virtutes maturas affore pollicetur: atque vt diem aurora, sic animi ingeniisque lumen formæ splendor aliquis nitorque antecedit. Isocrates verò in Helenæ encomio pulchritudinem cæterarum rerum omnium maximè honestam & laudailem esse dicit. Idque percipi ait ex tacitis hominum sensibus & cogitationibus. primòm enim aliarum rerum, quæ ad vitam necessariæ sunt, vt cibi, potus, vestitus, bonæ etiam valetudinis quædam tantummodò cupiditas in nobis oritur: neque ea omnia quum desideramus, amore corripi & incendi dicimur, qui summus & vehementissimus animi affe-

affectus proprius & peculiaris est hominum pulchritudinem solam admirantium, Præterea iis omnibus, qui aut fortitudine, aut prudentia, aut ingenio, aut potentia excellunt, naturaliter inuidemus: nisi ij nos sibi quotidianis beneficiis concilient, & quodammodo repugnantes in sui amorem pertrahant. At formosis mulieribus semel tantummodo aspectis illico amici beneuolique afficimur, neque vllo tempore in earum cultu defatigamur. Quinetiam huiusmodi personis seruimus & famulamur libentius, quã imperamus cæteris: atque ex formosis omnibus his plurimum nos debere existimamus, quarum iussis, imperiis, mandatisque obsequimur. Deinde si quis sese alteri nimis morigerum propter diuitias aut gratificandi facultatem præbeat, eum vulgò odimus, & quasi adulatorem vituperamus: eos verò qui pulchritudini seruiunt liberales, ingenuos & elegantes homines esse existimamus. Postremò tanta veneratione egregiam corporis formam prosequimur, vt si qua mulier illam mercede adducta prostituerit, quasi maximi criminis rea, turpis vbique infamisque habeatur: quæ verò mulieres pulchritudinem, quasi sacrarium quoddam, impiis prophanisque intactum & inaccessum seruauerint: illæ in perpetuum probantur ab omnibus, & quasi de republica benè meritæ celebrantur. Quod si quis fortè, vt ait

ille,

ille hominum iudiciis minime cõtentus deorum sententiam de ea re sciscitari velit, inueniet Iouem aduersus alios omnes viribus & fulmine vsum, maiestatem suam, quasi de fastigio detractam, formosarum mulierum oculis & voluntati subiecisse. Etenim Amphitryoni similis ad Alcumenam venit, in pluuiam auream mutatus Danaem adiuít: in cygnum efformatus, primum Nemesi, deinde etiam Ledæ sese applicuit. Et vt breuiter dicam, semper artibus precibusque adhibitis, non aperta vi pulchrarum mulierum amorem venatus est. Denique speciem corporis decoram ita dij pluris quam homines faciunt, vt superi vxoribus suis pulchrorum hominum amore flagrantibus ignoscere videantur. Quin etiam multæ apud Poetas diuæ reperiuntur, quæ amorem suum & consuetudinem, cum hominibus formosis decantari malint, quam superstitiose taceri. Cui quidem rei magno argumento est, quod homines plures corporis pulchritudo, quam aut fortitudo, aut temperantia, aut prudentia, aut alia quæuis animi ingenijve dos in cęlum sustulit, immortalesque reddidit. Hactenus Isocrates. Homerus verò illis omnibus antiquior tanti fecit vnius Helenæ formam & faciem, vt propter eam labores à Græcis Troianisque susceptos minimè pœnitendos esse dixerit,

Ο'υ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐυκνημίδιας
Αχαιὺς
Τοιῆδ' ἀμφὶ γυναικὶ πυλὺν χρόνον ἄλγεα
πάχειν.

Et apud eundem quum Paridi Hector, τήν τε κόμlω, νό τε εἶδος, hoc est comam & faciem obiecisset, ita respondit Paris

Ο'ύτοι ἀπόβλητ' στὶ θεῶν ἐρικύδεα
δῶρα,
Ο'σσα κέν ἀυτοὶ, δῶσιν, ἑκὼνδ' ὀκ ἄν τις
ἕλοιτο.

Nulli calicolum dona abiicienda Deorum:
Iis homines etenim multi caruere petitis.

Quæ genas vultusque.

ἅτε παρθενίοισι παίδων ἐφίζοισα βλεφάροις.

Hunc locum ita expressit Horatius libro 4. ode 13.

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas: ille virentis &
Doctæ psallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.

NAM quemadmodum Pindarus ait Pulchritudinem in puellarum oculis & palpebris insidere: sic Horatius in Chiæ psaltriæ genis Cupidinem fingit excubare.

Dominator hasta
Atque consultus bonus.

Hic Pindarus videtur imitatus Homerum ita scribentem de Agamemnone,

Αμ-

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθός, κρατερός τ' αἰχμητής.

Consilio bonus, & præstans victricibus armis.

QVAMVIS enim nonnulli βασιλέα ἀγαθὸν piũ & clementem Regem interpretentur: tamen notum est apud Græcos, eum propriè dici ἀγαθόν, qui ad munus, officiũque suum obeundem maximè aptus & idoneus est, vnde homines egregij & dotibus corporis animique excellentes, vulgò καλοὶ κἀγαθοὶ appellantur. Nos verò regium munus & officium maximè versari existimamus in consiliis pro repub. capiendis. Ita vt qui hoc vno plurimum valet, is propriè βασιλεύς ἀγαθός dici possit. quin etiam idipsum notatio nominis indicat, græcè enim βάζειν alloqui, & λαὸς populum significat, dictique sunt ab antiquis Reges, βασιλέες, quòd populum frequenter in conuentibus & conciliis publicis alloquerentur.

Mollia iussa.

HOC scribit Pindarus respiciens ad antiquam Aeginetarum potentiam: quoniam enim Aegina insula munitissima olim erat, & classibus externis inaccessa, ac bellicosis reique maritimæ expertis hominibus abundabat: ideò dicitur heroicis temporibus vniuersæ pænè Græciæ imperasse. Quin

etiam in bello Persico, Atheniensibus exceptis, omnibus Græcorum populis hæc vna ciuitas præstitit & militum & nauium multitudine: qua de re sic Pausanias lib. 2. eò vsque auctæ sunt Aeginetarum opes, vt naualibus copiis Atheniensibus ipsis fuerint potentiores, & Persico bello secundum Athenienses maximum nauium numerum deduxere.

Hinc Athenarum lapidosa rupes.

FREQVENTER Pindarus Ἀθάνας κραναάς appellat, quòd Attica regio lapidosa esset & aspera, atque, vt Græci loquuntur, παμφόρος μὲν, ὀλιγοφορος δέ. Itaque quãuis, vt scribit Isocrates in Panathen. Athenienses primi omnium Græcorum terram exarasse & segetes seuisse dicantur, tamen ipsi frumento fere è longinquis regionibus aduecto victitabant, vt ex illis Philippicæ verbis intelligi potest, πλεῖστον τῶν Ἑλλήνων ἁπάντων ἡμεῖς ἐπεισάκτῳ σιτίῳ χρώμεθα. quod etiam fortasse ob multitudinem inhabitantum accidebat. Scribit enim Xenophon in lib. ἀπομνημονευμάτων tertio, ciuitatem illam Græcarum omnium maximè amplam & populosam fuisse.

Calculis sic vos tacitis Pelasgi.

HIC Pindarus de nobili illo armorum

indicio

iudicio loquitur, in quo ab Vlisse victus est Aiax Telamonius: idque non vocalibus Græcorum sententiis, sed tacitis & occultis. Græci enim antiqui in iudiciis calculis vtebantur colorum varietate distinctis, vt Plut. ostendit in vita Alcibiadis: nam cùm ille impietatis reus accusatus, & ad causam dicendam publicè euocatus, nollet se iudicio sistere, petiissetque ab eo quidam ex amicis, an Atheniensium erga se beneuolentiæ diffideret? respondit ille, sese in iudicio criminali caput suum ne matri quidem propriæ commissurum, quod vereretur ne illa per errorem in ferenda sententia nigrum calculum pro albo sumeret. Ex quo etiam calculorum vsu, qui grecè ψῆφοι dicuntur, Græci decreta & iudicia omnia ψηφίσματα appellabant. Romani autem iudices aliquando eorum exemplo calculos in vrnam coniiciebant, aliquando etiam, & vt opinor, frequentius sententias suas pronunciabant: quamquam id omne ab actoris vel rei voluntate pendebat, quorum alteruter vel vterque quid in ea re fieri mallet, initio statim ostendere consueuerat, vt apparet ex Cluentiana Ciceronis in his verbis, Consurgitur in consilium cum sententias Oppianicus, quæ tum erat potestas, palam ferri velle dixisset, vt Stalenus scire posset, quid cuique deberetur. Porro sæpe à doctis viris & ciuilium rerum peritis quæsitum est, vtrum

magis expediret in iudiciis, clam vel apertè ferri ſententias. Ariſtoteles [*lib. 2. Pol. in ca. de Hippodami repub.*] quidem tradit in quibuſdam Græciæ ciuitatibus adeò probata fuiſſe tabellaria & clandeſtina ſuffragia, vt legibus prohiberetur, ne iudices omnino inter ſe colloquerentur, aut capita conferrent, quaſi hæc taciturnitas valeret ad integritatem ſuffragiorum conſeruandam, timoremque potentię & gratificandi ſpem, & cæteros affectus ſimiles iudicantum animis detrahendos. Cui tamen opinioni minime ipſe profeſſor ſapientiæ videtur accedere. Nam in Politicis [*lib. 3.*] de iudiciorum conſtitutione diſſerens ita ferè ſcribit, τὺς πολλὺς ὧν ἕκαστός ἐστιν ὐ σπυδαῖος ἀνὴρ, ἐνδέχεται συνελθόντας εἶναι βελτίυς, οἷον τὰ συμφορητὰ δεῖπνα τῶν ἐκ μιᾶς δαπάνης χορηθέντων. Πολλῶν γαρ ὄντων ἕκαστος) μοριον ἔχει ἀρετῆς καὶ φρονήσεως, καὶ ἐνδέγεται γίνεσθαι συνελθόντας ὥσπερ ἕνα ἄνθρωπον πολύποδα καὶ πολύχειρα καὶ πολλὰς ἔχοντα τας διανοίας. id eſt, Cum multi iudices congregati ſunt in turba valent, quamuis ſinguli fortaſſe leues exiſtimentur, quemadmodum conuiuia melius inſtruuntur multorum collata pecunia, quàm vnius tantummodo impenſis. Præterea inter plures iudices vnuſquiſque partem aliquam prudentiæ & virtutis habet, videturque conſilium & conſeſſus diuerſorum hominum, corpus aliquod

quod

quod eſſe multis brachiis multiſque ingeniis & iudiciis præditum. Quæ ſi ita ſunt, iudices profectò à ſe inuicem exaudiri oportet, aliter enim minimè in vnum corpus ingeniũq; coaleſcunt, ſed languent veluti membra à ſe inuicem diuulſa & ſeparata. Plato autem in lib. 6. de Legibus de ea re huiuſmodi quaſi oraculum edidit: ἄφωνος δέ ἡμῖν δικαστὴς καὶ μὴ πλείω ἐν ταῖς ἀνακρίσεσι φθεγγόμενος τῶν ἀντιδίκων οὐκ ἄν ποτε ἱκανός γένοιτο περὶ τὴν τῶν δικαίων κρίσιν. id eſt iudex mutus, quique non plura differit quàm patroni cauſarum, minimè ad res iudicandas idoneus habendus eſt. Quo in loco Plato ſententiam Anacharſidis Scythæ videtur expreſiſſe: quum enim ille è Scythia videndi diſcendique ſtudio Athenas veniſſet, & in foro Athenienſium contemplatus eſſet oratores eruditos & eloquentes, iudices autem ſtupidos, elingues & mutos, dixiſſe fertur. ſibi Athenienſium morem ineptiſſimum videri quod apud eos imperiti homines, de doctorum oratione dictiſque tacitè iudicarent, [*Plut.*] quum longè tolerabilius eſſet inſipientes inter ſe contendere, ſapientes autem de ſtultorum controuerſiis ius dicere: atque vt paucis abſoluam, ſi aliqua iudicandi ars & ſcientia eſt, vt certe eſt fere omnium prima, non minus ea ad veritatem eruendam doctorum hominum ſermonibus, & colloquiis indiget, quàm aut philoſophia, aut medicina,

aut alia quæuis maximarum & optimarum artium. Præterea quemadmodum Plinius ait in Epistolis, l. 3. metuendum est ne tacitis suffragiis irrepat impudentia: pauci enim conscientiam verentur: multi viris bonis auscultantibus perperam iudicandi infamiam timent. Sane negare non ausim controuersias aliquando exoriri inter proceres & magnates virosque iudicibus ipsis formidabiles: quas si quis tacitis suffragiis dirimi velit, ne iudicium metu debilitatum existimetur, non illi inuitus assentiar, modò nihil de ea re in vniuersum statuatur, nec qua forma sententiæ ferantur, litigatores eligant, sed iudices inte se collocuti pro personarum & rerum conditione decernant.

Rector Salaminis.

id est, Aiax Telamonius.

Mersus inermis.

Sine armis Achillis. Fingunt enim Poetæ, quæ studia cuique viuenti fuerint, iisdem defunctum etiam delectari. Virgilius,

qua gratia curum.

Armorumque fuit viuis, qua cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

O Mega.

Hic Poeta Megam patrem Diniæ alloquitur,

tur, quem sublatum è viuis cupit ab inferis excitari: vt gloriam Diniæ paternæ victoriæ æmulam aspicere possit. Atque hæc mortuorum inuocatio sæpe alias apud Pindarum inuenitur, vt in Olympiorum Ode 8. his versibus:

Sed me excitantem iam decet infima
Tellure manes Blepsiadis sui
Narrare certamen nepotis.

Nec desunt qui existiment Pindarum apud Græcos primum fere omnium de animorum immortalitate vaticinatum esse, cum ea opinio, quemadmodum ait Herodotus, [*In Euterpe.*] ex Aegypto fluxisset in Græciam, multis Græcis postea sibi tam celebre piumque inuentum falsò vendicantibus, quos sibi ille minimè nominandos existimauit.

Spes nimias inanis exitus angit.

Hunc locum sic est imitatus Horatius l.4.
Terret ambustus Phaeton auaras
Spes, &c.

Carmen & morbos abigit nocentes.

Hoc loco apud Pindarum κάματος morbum denotat: nam græcè κάμνειν significat ægrotare. Porrò veteres tradunt peste apud Lacedæmonios grassante, Terpandium vel Thaletem Poetam cithara iucundissimè

canentem remedium ægrotantibus attulisse. [*Plutarchus in lib. de Musica.*] Mira & alia multa memorantur de vi & efficacia musices in morbis minuendis & leniendis: qua de re ita Plinius lib. 28. c. 2. Carmina quædã extant coutra grandines, contraque morborum genera, quæ iam etiam experta, sed prodendo obstat verecundia in tanta animorum varietate. Et Athæneus lib. 14. c. 10. scribit Ischiacos sanari si modò à Phryge aliquo Phrygia harmonia demulceantur. sanè Homerus [*Odiss. T,*] author est certis carminibus adhibitis profluentem è vulaeribus sanguinem sisti & comprimi.

Certè apud priscos viguit Thalia.

APVD Græcos nullum olim scriptum antiquius fuit carminibus Poëtarum, quod prisca ostendunt oracula, non oratione pedestri sed versibus comprehensa. Prææterea Homerus & Hesiodus quadringentis annis integris Herodoti ætatem precesserunt, neque ante illos quicquam literis mandatum est, quod quidem ad posteros peruenerit. Qua ratione Cicero motus ait, Apud Græcos antiquissimum è doctis genus est Poëtarum. Immò Græci veteres nullos alios, quam poetas & historiæ & Philosophiæ, & falsæ illius fabulosæque Theogoniæ authores, habuerunt.

AD

AD ODEN. IX.

Charæ pegasides.

PINDARVS ab initio huius carminis vsque ad hæc verba, *Nunc te summe Deum precor*, tantummodo ostendit quomodo minora quædam Pythia ab Adrasto Argiuorũ rege, olim instituta fuerunt in vrbe Sicyone, quo ex certamine q ondam Chromius palmam retulerat. post illa autem verba, *Nunc te summe Deum precor*, poeta bellum à Siculis cõtra Carthaginenses gestum attingens paulatim ad ipsius Chromij laudes delabitur. cuius ordinis instituti lectorem tacitè admonens, Musas precatur vt ab vrbe Sicyone ad oppidum Ae.næ transeant victoris fidei creditum & commissum ab Hierone; quasi diceret, Musæ narrate primum celebritatem & originem Sicyonij certaminis, deinde Chromij ducis fortitudinem celebrare.

Mecum Aetnam lapidum mole recentium.

TRADIT Diodorus Siculus lib. 11. Historiarum, Hieronem regem fratrem & successorem Gelonis Catanenses omnes expulisse sedibus suis, atque in his decem millia nouorum colonorum è Peloponeso & Syracusis accita constituisse, nomine etiam Ca-

tanæ vrbis in nomen Aetnæ commutato: partim quòd Catanensibus iratus esset, partim quod honores maximos vrbium fundatoribus haberi solitos in Græcia cupidè affectaret. Ideò Pindarus hoc loco Aetnam vocat νεόκτιστον, nuper conditam & constructam, hac in re voluntatem & desiderium potius Hieronis regis quam rei veritatem sequens: quemadmodum in prima Pythiorum ode, vbi hæc nouæ coloniæ deductio eleganter describitur his versibus:

Ciues regendos huic genitor dedit
Laxis habenis, nec sine libero
Virtutis vsu regulaque
Doride struxit opus decorum,
Lycurgi alumnos mœnibus ambiens.

Iamque Arg, Talai des. genus.

QVVM Amphiaraus & Talaus apud Argiuos simul regnarent, Talaum Amphiaraus è medio sustulit: sed Talai filius Adrastus, tandem cum Amphiarao rediit in gratiam, data ei in matrimonium sorore Eriphyle, cuius artibus postea effectum est vt Adrastus paternum solium recuperaret, & Amphiaraus ad bellum Thebanum profectus terra dehiscente obrueretur.

Ter-

Terris Sicaniis.

HIERONE regnante in Sicilia Carthaginenses insulæ occupandæ cupidi, sæpe oram maritimam classibus infestabant: ideò Iouem Pindarus præcatur, vt Pœnorum metu Siciliam liberet.

AD X. ODEN.

Iuno libens posuit penates.

CERTAE vrbes numerantur ab Homero Iunoni gratæ & acceptæ, quarum in numero reperitur vrbs Argiuorum, vt apparet ex his 4. Iliados.

Τὴν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα βοῶπις πότνια
Ἥρη.
Ἤτοι ἐμοὶ τρεῖς μὲν πολὺ φίλταταί εἰσι
πόληες
Ἄργος τε Σπάρτη τε καὶ εὐρυάγυια Μυ-
κήνη.

Tres mihi sunt gratæ terris magis omnibus
vrbes,
Argos, Sparta potens armis, & lata My-
cenæ.

Quem locum Virgilius imitari cupiens sic loquitur de Carthagine. 1, Aeneid.

Hanc Iuno fertur terris magis omnibus vnã
Post habita coluisse Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit.

Plu-

Plures ob audaces alumnos.

QVVM Pindarus vrbem aliquam laudare instituit, viros fœminasque illustres eiusdem vrbis enumerat, & singulorum facta clariora recenset, quemadmodum in illa Olympiorũ ode quæ incipit,

Frondentem oliua iam triplici domum.

Vbi Poeta vrbem Corinthum exornare cupiens Sisyphi, Medeæ, Glauci, & præcipuè Bellerophontis Corinthiorum laudes persequitur: nec sanè iniuria. veteres enim vitia virtutes-ve hominum non solum educationi aut parentibus sed etiam magna ex parte natali solo patriæque deberi existimarunt. Qua de re sic Cicero in Oratione contra Rullum: Non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis quàm ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci suppeditantur. Carthaginenses fraudulenti, non genere sed natura loci, quod propter portus suos multis & fraudulentis mercatorum sermonibus ad studium fallendi vocabantur. Ligures montani, duri atque agrestes. docuit ager ipse, nihil ferendo nisi magno labore. Campani semper superbi bonitate agrorum & fructuum. Propterea Homerus Ithacam Vlyssis patriam laudans dicit eam τρηχεῖαν εἶναι, asperam & infertilem, ἀλλ' ἀγαθὴν κυροτρόφον, sed fortium virorum

rum procreatricem. qua ratione motus Seriphius, vt scribit Plato lib. 1. de republ. Themistocli obiecit illũ non virtutibus propriis, sed ciuitatis suæ commendatione ad gloriam famamque peruenisse. Atque his omnibus non pigebit opinionem Vlpiani sũmi Iurisconf. adducere qui in libro Pandecta, ita scribit, Qui mancipia vendunt nationem cuiusque in venditione pronuntiare debent: plærumque enim natio serui aut prouocat aut deterret emptorem, quandoquidem præsumitur quosdam seruos bonos esse, quia nationis sunt non infamatæ: quosdam malos videri, quia ea natione sunt quæ magis infamis est.

Persea.

De factis Persei vide Ouid. Metam. lib. 4. & 5.

Epaphus stabiliuit arces.

EPAPHVS filius fuit Iouis & Ius siue Isidis, quæ natione Argiua bos primùm, deinde Aegypti Dea facta est: ibique cum filio Epapho templa & diuinos honores obtinuit. Ouid. l. 1. Metamorph.

Hic Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditur esse Iouis, perque Vrbes iuncta parenti
Templa tenet.

Et Diomedea.

Libri Iliados ε. initium huiusmodi est,

Ἔνθ' αὖ Τυδείδῃ Διομήδει Παλλὰς Ἀθήνη
Δῶκε μένος καὶ θάρσος, ἵν' ἔκδηλος μετὰ πᾶσιν
Ἀργείοισι γένοιτο.

Semperque Homerus Diomedi validiss. heroi Palladem adiungit, vt indicet vires humanas prudentia & consiliis indigere: eandem quoque ob causam Iliados κ. in expeditionem nocturnam simul Diomedes & Vlysses proficiscuntur, quorum hic ingenio ille viribus excellebat. quibus ex fontibus illa Platonis pręcepta fluxerunt, qui in Politico tradit hoc quasi arcanum ciuilis scientiæ, scilicet in publicis administrationibus fortes animososque homines, cum modestis & prudentibus copulari oportere: vt inde quoddam veluti ingeniorum temperamentum existat maximè vtile & opportunum rebus gerendis. Huc etiam referendum est illud Horatij;

Vis consilij expers mole ruit sua.
Vim temperatam dij quoque prouehunt
In maius: ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes,

Pugna alacris rapidaque nimbum.

Græcè, πολέμοιο νέφος.

Hunc locum ita expressit Lucretius:

Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror.

Et Virgilius in 6.

Duo.

Duo fulmina belli, Scipiadæ.
Vna viro iuueni pepercit.
Hunc locum sic est imitatus Horatius lib.1. Ode 11.
Vna de multis face nuptiali
Digna periurum fuit in parentem,
Splendidè mendax, & in omne virgo
Nobilis æuum,
Surge quæ dixit iuueni marito.
Atque imparem pressisse lectum.
Hæc de re Plautus in Amphitryone.

En præliorum stridor ahen.

Argis Iunoni dies festi agebantur ἥραια nomine in honorem Iunonis, in quibus Thiæus lucta vicerat.

Tellus Adrasteis.

Hoc est, Nemea regio, in qua Adrastus certamen sacrum Archemoro siue Opheltæ instituit.

Hæc præter optat.

Id est, præter Aeginas, Isthmias & Nemeas palmas Thiæus olympicam victoriam desiderat, quasi honorum omnium fastigium & culmen.

Iam fructuosæ bis oleæ liquor.

Qvi in Panathenaico certamine vicerant oleum peluibus æneis inclusum auferebant.

Quas.

Quas terra flammis vsta fudit.

Hoc ideo dicit quia metalla igni excocta colliquescunt prius, deinde in vasa & pelues & cætera his similia efformantur.

Alta Clitor.

Clitor vrbes est Argolica.

Tegea Arcadum.

Tegea vrbes est Arcadum, de qua Homerus Il. 2.

Καὶ τεγέην εἶχον, καὶ μανλινένη ἐρατεινήν.

Quum vero Castor Castoris &c.

Ait Pindarus Pamphaa Thiæi proauo, quodam Castorem & Pollucem hospitio exceptos, illosque certaminum omnium præsides postea semper hospitis sui nepotibus fauisse, plureſque vltro victorias & palmas vbique detulisse. Porro veteres scripserunt incorrupto adhuc sæculo Deos sæpissime hominum hospitiis vsos, sed eorum vitiis postea iratos turpes infamesque, cœtus vitare voluisse, qua de re sic Val. Catullus in nuptiis Pelei.

Præsentes namque ante domos inuisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu
Cælicolæ nondum spreta pietate solebant:
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,

Iustitiam-

Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Omnia fanda nefanda malo permista furore,
Iustificam nobis mentem auertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

Mortalibus iustis fauentes.

Hic Pindarus relicta penitus laude Thiæi victoris Pollucis & Castoris mutuum amorem fatumque copiose explicat. quod quidem scribendi genus lyricis omnibus dithyrambicisque poetis perfamiliare olim & vsitatum fuit. Atque vt Pindarica alia & Horatiana exempla prætermittam, testis est Cicero Simonidem lyricum poetam Pindaro paulo antiquiorem idem olim factitasse, in gratiam quoque Castoris & Pollucis, qui, vt ait ille beneficij accepti memores poetæ illico mercedem longè optimam persoluerunt. verba hæc sunt Cicer. in lib. 2. de Oratore: Quũ Simonides cœnaret Crannone in Thessalia apud Scopam fortunatum hominem & nobilem, cecinissetque carmen, quod in eum scripserat, in quo multa ornandi causa poetarum more in Castorem & Pollucem dicebantur, nimis sordidè Scopas ei dixit, se dimidiũm mercedis quam promisisset daturum, reliquum

quum ipſe à ſuis Tyndaridis exigeret. Paulo poſt nunciatum eſt Simonidi vt exiret, ſtare ad ianuam duos iuuenes, qui eum euocarent prodiit Simonides, neminem repperit: interim conclauis ruina Scopas cum ſuis oppreſſus eſt, & Simonides ſolus Tyndaridarum beneficio euaſit. Nec verò mos iſte poetarum ineptus aut abſurdus eſt, quandoquidem prudentes & ſapientes viri, in quibus nihil eſt vanum neque inane, modò nomen ſuum excellentis Poetæ ſcriptis quaſi marmori inſculptum tranſeat ad poſteros, de aliis quam de ſeſe prædicari malunt gtandia quædam & fabuloſa, qualia ferè omnia poetarum ornamenta ſunt. Quemadmodum enim Ariſtoteles ſcribit in lib. de arte Poet. οὐ τὰ γινόμενα λέγειν ἔργον ἐστὶ τοῦ ποιητοῦ, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο. Poetarum officium eſt non res verè geſtas exponere, ſed tantummodo confictas & quales interdum euenire poſſunt. quam obrem Peſſennius Niger Imperator, vir grauis & ſerius, cum ei Poeta quidam panegyricum carmen recitare vellet, dixit ei ſcribe laudes Marij, vel Hannibalis, vel alterius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare irriſio eſt, maximè Imperatores, à quibus ſperatur, qui timentur, qui præſtare multa poſſunt, & necare & proſcribere. [*Spartian in Nigro.*] Atque hac ipſa ratione nonnulli exiſtimant Virgilium

gilium res ab Augusto terra marique gestas attingere noluisse, sed potius fictum fabulosumque opus Aeneidos informasse, cui tamen dissimulanter & artificiose egregia Cæsaris laudes, priscasque Romanorum rerum Origenes inseruit.

Quippe ij vicissim cęlicolum dapes.

NVLLOS fere Deos delusa antiquitas superstitiosius coluit quàm Castorem & Pollucem, nullos in priuatis publicisque sacramentis frequentius vsurpauit: & tamen mirum est, quam varia quamque inter se pugnantia de iis antiqui scriptores tradiderint. Homerus quidem 3. Iliados scribit eos mortales fuisse, & in patria Lacedæmone sepultos iacere, his versibus.

Δοιὼ δ' ὐ δύναμαι ἰδέειν κοσμήτορε λαῶν.
Κάσοράϑ ἱπποδαμον, καὶ πὺξ αγαθόν Πολυδευκεα.
Ὣς φάτο, τὺς δ' ἤδη κατέχεν φυσιζοος αἶα
Εν λακεδαίμονι αὖθι, φίλη ἐνὶ πατρίδι γάιη.

Alio in loco nempe Odyss. λ, dicit eosdem delapsos esse ad inferos, ibique alternis exoriri & occidere, verba sunt Vlyssis
Καὶ Λήδην εἶδον τὴν τυνδαρέυ παράκοιτιν.

Κά-

Κάϛορά θ' ἱππόδαμον καὶ πύξ ἀγαθὸν
Πολυδεύκεα,
Οἳ καὶ νέρθεν γῆς τιμήν πρός Ζῆνος ἔχοντες,
Ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε τεθνᾶσιν.

PINDARVS verò hic ambos perpetuo viuere ait, sed alternis in cælo terraque habitare. Herod. in Euterpe ſcribit διοσκούρους. i. filios Iouis & Ledæ, neque inter octo neque inter duodecim Aegyptiorum Deos recenſeri. Cicero lib. 3. de natura Deorum, honorem haberi eorum virtutibus non immortalitatibus. Aug. lib. 4. de Ciuitate Dei, proditum à doctis vtrumque eorum & mortalem fuiſſe, & humana conditione defeciſſe. Certe ab omnibus ferè Poetis duæ veluti procurationes & prouinciæ illis aſſignatæ ſunt, bellorum & certaminum vna, nauigationum altera, vt apparet ex hoc loco Horatij:

Dicam & Alcidem pueroſque Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem, quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor &c.
Et alio in loco,
Sic te diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida ſydera,
Ventorumque regat pater. &c.

Hunc

Hunc namque ſeuit diſſimilis parens.

Dicit Pindarus ex Iouis Ledæque complexu primum Pollucem concep um, deinde Caſtorem ex eadem Leda & Tyndareo, qui gemini poſtea ſimul vno partu editi ſunt. Simile eſt poetarum commentum de Hercule & Iphiclo, quod ipſum tamen accidere poſſe nonnunquam ſcribit Ariſt. l. 7. c. 4. de hiſtoria animal. his verbis: *τά μὲν οὖν ὕστερον πολλῷ χρόνῳ συλληφθέντα οὐδὲν λαμβάνει τέλος. ἐὰν δὲ ἐγγὺς ἡ σύλληψις ἐγένετο, τό ἐπικυηθὲν ἐξήνεγκαν, καὶ τίκτουσιν ὥσπερ δίδυμα γόνῳ. καθάπερ καὶ τόν Ἰφικλέα καὶ τόν Ηρακλέα μυθολογοῦσι. καὶ μοιχευομένη τις τό μὲν τῶν τέκνων ἐοικός τῷ ἀνδρὶ ἔτεκε, τὸ δὲ τῷ μοιχῷ.* Si multum temporis inter duos conceptus ex concubitu diuerſorum intercedat, neuter felicem exitũ habet: ſi vero paululum temporis interiectũ ſit, vterque perfertur: ſicut in Hercule & Iphiclo apparuit, & in ea quæ gemino partu alterum marito ſimilem, alterum adultero genuit.[*Plin.li.7.c.*11.]

Fratrique cunctorum bonorum &c.

Multa Xenophon & Plutarch. ſcripſere de amore fraterno, cuius homines admoneri ipſa verbi notatione, vt plerique, oſtendunt: frater, inquiunt, dictus eſt, quaſi

ferè

ferè alter. Ego verò crediderim potius, quemadmodum patris & matris vocabula Græca sunt, sic etiam fratris nomen Græcum esse origine mouet me quod Græci φράτορα eos appellant ἀπὸ τοῦ φρέατος. i à puteo, qui ex eodem puteo aquantur. Cuiusmodi olim fuerunt fratres, & hodie sunt in multis adhuc nationibus, quæ naturæ & charitati mutuæ maximè accommodatum existimant, fratres plures in iisdem ædibus, sub vnius patris famil. quasi reguli cuiusdam imperio nutuque victitare. Scio equidem communius à Græcis eos dici φράτορας, qui alio nomine tribules, vel gentiles, vel populares appellantur: sed notum est gentes omnes tribusque & fratrias à singularibus familiis cœpisse primum, deinde per varias ætates latius propagatas fuisse. Ita vt res huiusmodi non natura à se inuicem differant, sed tantummodo secundum maius & minus, vt loquitur Aristoteles. Nec mirum est Latinos aliena lingua abutentes, quod totius cuiusdam proprium erat, id in parte significanda vsurpasse.

AD XI. ODEN.

Præfecto Tenedio.

Πρυτανέα interpretati sumus præfectum πρυτάνεις, Athenis erant ex quingentis quin-

quinquaginta viri summæ rerum præfecti & præpositi, quorum imperium trigenta & quinque dierum spacio definiebatur: quemadmodum scribit Libanius ad orationem Demosthenis contra Androtionem, facilè autē crediderim apud Tenedios magistratum annuum fuisse eiusdem nominis & potestatis.

Vesta potentium.

Eςία quæ voce paulum immutata Latinis Vesta dicitur, ab ethnicis olim admodum superstitiosè culta est, quæ quidem non terram, vt nonnulli crediderunt, sed elementum ignis efficacissimum & subtilissimum significabat. In eius honorem & Athenis, & in templo Delphici Apollinis, & in omnibus ferè publicis græcarum vrbium palatiis ignis asseruabatur, vt ait Plutarchus in vita Numæ Pomp. Hunc morem Romani quoque postea sequuti sunt vel potius à Troianis quorum vicini Tenedii accepere: vt apparet ex his versibus Virg. l. 2. Aened.

Sic ait, & manibus vittas vestamque potentem,
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem,

Certè constat ethnicos delirantes huic falso numini tantum tribuisse, vt sine igne nullum aliis Diis legitimum perfectumque sacrificium fieri existimarent. Cuius rei Pindarus ipse testis est locupletissimus qui in

Ode 7. Olymp. filios Solis minimè Palladi in lucem prodeunti satisfecisse ait, quia sacrificaturi in montem sine igni ascenderant. verba sunt Pindari.

Καί τοι γαρ αἴθοισας ἔχοντες
Σπέρμ' ἀνέβαν φλογὸς οὔ,
Τεῦξαν δ' ἀπύροις ἱεροῖς.

SCRIBIT quoque Herodianus l. 2. historiarum, crescente hominum adulatione & seruitute, vt cęteros diuinos honores, sic ignem etiam à Deorum cultu, ad Cæsarum venerationem trãslatum fuisse, & institutum vt non tantum Imperatoribus, sed mulieribus quoque augustis in publicum prodeuntibus ignis præferretur. Nec verò pigebit hoc loco admonuisse lectorem, versiculum istum:

ἅτε πρυτανεῖα λέλογχας ἑστία, ad verbum videri translatum à Virg. in 2. Georg. vbi ait:

Dij patrij indigetes, & Romule, vestaque mater.
Quæ Thuscum Tiberim & Romana palatia seruas.

Virgilius enim admodum eleganter vocẽ hanc Græcam *πρυτανεῖα* palatia interpretatus est, quia *πρυτανεῖα* apud Græcos publicæ vrbium domus erant, in quibus ignis publicus custodiebatur, magistratus splendide habitabant, viri de repub. benè meriti publicis sumptibus alebantur. Vnde illud Socratis a Iudicibus interrogati vulgare responsum,

sum, se scilicet ita vixisse, vt in Prytaneo ali deberet.

Fortem Aristagoram libens Arcanis thal.

VESTAM rogat vt Aristagoram Tenedi præfectum collegasque eius libenter ædibus & thalamo suo excipiat, quia vt diximus idem locus & ignis publici custodiæ & magistratuum annuæ habitationi destinabatur.

Omnes sceptrigeros te propè colloca.

APVD Græcos non soli Reges aut Aesymnetæ, sed etiam popularium vrbium magistratus sceptrum gerebant: quin etiam Athenis βακτηρία hoc est bacillus insigne eorum erat qui ad tempus electi de controuersiis ciuium iudicabant.

Conseruant Tenedon Hectoream.

TENEDOS insula est, vt inquit Mela, Asiaticis regionibus adiacens & Sigæis littoribus aduersa, sicque appellata à Deo Thene, vt inquit Cicero l. 3. in Verrem, ibi sanctissime colebatur, quod primus in ea vrbem condidisset. Stephanus scribit eam insulam vnam esse τῶν ἑκατοροδῶν, & à quibusdam Pamphylia adscribi.

Fumanti recreant te Dea victima.

POETAE ridicule admodum fabulantur

Deos suos & thuris & fumantium victimarum nidore nutriri. Vnde apud Aristoph. Deus quispiam ait breui se Deosque cæteros fame perituros, quod rarò in vrbe sacrificetur. Itaque Homerus initio Odyss. fingit Neptunum profectum ad Aethiopas, vt occurreret hecatombæ taurorum & arietum, ibique solemnibus dapibus reficeretur. Versus sunt huiusmodi Odyss. *α,*

Ἀλλ' ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,

Ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.

Et apud eundem l. 3. Iliad. Iuppiter ideò se Troianis fauere ait, quod in ea vrbe nunquam neque libationes, neque hostiarum nidores fumique deficiant. Similiter Horatius ita Venerem alloquitur l. 4. Ode 1.

Albanos prope te lacus
Ponet marmoream sub trabe Cypria.
Illic plurima naribus
Duces thura, lyraque & Berecynthia
Delectabere tibia
Mistis carminibus non sine fistula.
Vt cunctis spatium muneris annuum.

In liberis ciuitatibus tam Græcis quam barbaris fere magistratus annui erant; quemadmodum Athenis *ἄρχων*, à quo denominationem annus accipiebat, sicuti apud Romanos à Consulibus: videbatur sic aditus claudi ad tyrannidem: sed apud Romanos quum necessitas temporum exigebat, vt viris in re

mili ari

militari excellentibus sæpius Respub. committeretur, nonnumquam iidem Coss. reficiebantur, aut in prouinciis continuabantur. Quod rarò accidit, & solo ferè Punico bello cum Hānibale gesto pænè ad internecionē P. R. apud Græcos Epaminondas, quum tempore magistratus elapso per tres menses integros contra legem exercitum retinuisset, memorabile illud Leuctrense prælium fecit, victisque Lacedæmoniis Thebano populo quæsiuit imperium Græciæ, haud sanè diuturnum, & simul cum ipso Epaminonda periturum [*Liuius l. 4. di bel. pun.*] quæ res contra legem gesta vtiliter & gloriose, magnam illis temporibus disserendi materiam præbuit literatis & otiosis hominibus.

Thebanis abauus tempor. ferox.
Hic est Menalippus, qui in bello Thebano à Tydeo Diomedis patre occisus est.

Despondere sibi quidlibet impotens.
Hunc locum videtur imitatus Horatius, quum ait,

Nil mortalibus arduum est.
Cælum ipsum petimus stultitia.

FINIS.

AD CLARISSIMVM ET Doctissimum Senatorem & Parisiensium inquisitionum Præsidem, D. Nicolaum Suerum, de Pindaro in Latinos versus ab ipso translato.

Auspice dum Musa fidibus resonare latinis
Thebanos aptas docte Suere modos:
Exili primum tibi Gallia nostra susurro
Accinit, ambiguo quippe retentia metu.
Tam facile hoc, Latia quod nec sua sæcula lingua
Crediderant, Gallo Gallia credat opus?
Verum vbi Romanis animos mulcentia verbis
Pindarica exaudit plectra nouata lyræ:
Acclamat, faustum, plena tibi Gallia voce,
Ingenij laudem certa referre tui.
Quin duce te veteres gaudet renouare triumphos,
Et Brenno similem te putat esse suo:
Namque vt Martigenam Romam Marte ille subegit,
Romano Romam vincis & eloquio.

IONATHAS PETIT.

Εἰς Πίνδαρον κάλλιςα ῥωμαϊςὶ ἑρμηνευθέντα.

ΔΙΟΣ Ἀλέξανδρος πρήσας Καδμήιον ἄςυ,
Πινδαρέων πάμπαν φείσατο τῶν μεγάρων.
ΣΟΥΔΟΡΙΟΣ δ' οὐ μοῦνον ἔσωζε καλάθρου ἀοιδοῦ,
Αὐτὰρ οἱ ἀλλονέον τεῦξεν ἐπ' Αὐσονίης.
Καδμείη κελαδῶν τε πάρος φόρμιγγι λιγείη,
Ῥωμαικὴν ἐπέων ἤνεσεν ἁρμονίην.


IDEM LATINE.

Fortis Alexander, Cadmi cùm diruit Vrbem,
Pindaricis ignes reppulit à laribus.
At non SVDORIVS *tantum seruauit ab igne*
Aedes sed Vati struxit in Ausonia:
Thebana sedenim cithara resonabat ut olim,
Nunc recinit Latia carmina nota lyra.

TETRASTICHON.

Quis nouus hic Cygnus nubes qui tendit in altas?
Dircęus simul est & Venusinus olor.
Voces, Flacce, tuę, res est tua, Pindare, tota:
Sudoris laudem debet vterque suam.

FED. MOREL. F.



370


TTSC